



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.  
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana  
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1673**

Titvlvs XIII. De Restitvtione Spoliatorvm.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

- 6 Resp. Itaque ad quæstionem quodd ex solâ annuâ præstatione non probetur subiectio, aut possessio subiectiois, nisi vel in solutione expressum sit eam fieri ratione subiectiois, aut nisi hoc ipsum ex circumstantiis, loci temporis, personarum, præsumptiue saltem appareat, ut si quis eodem loco, tempore, ac modo quo alij subditi, censum soluat, quæ enim indeterminata sunt, ex circumstantiis determinari solent, uti docet *gl. in l. 3. verb. Pro cauto ff. Si certum petatur, & idem tradit Tusc. verb. Censur. conclus. 190.*
- 7 Not. V. Si Actor per modum causæ aliquid in iudicium deduxerit ad quæstionis Principalis decisionem, non prohibetur

postea super eo propriam actionem instituere. Exemplum habes hic. Patriarcha ad probandam subiectioem Monasterij allegavit pensionem annuam sibi solutam esse, sed non obtinuit in petitorio, cum ostendere non potuerit legitimi temporis decursum, qui sufficiat, ad usucapionem, ob id tamen non prohibetur super eadem pensione, si ipsi in posterum negetur, aliud iudicium petitorium instituere, tum quia super pensione actum omnino non fuerat in petitorio, tum quia tamen actum fuisset ex titulo subiectiois, posset tamen denuo, ex alio titulo seu causa obligationis pensio peti, ut *glossa hæc admonet.*

## TITVLVS XIII. DE RESTITVTIONE SPOLIATORVM.

**C**AUSA restitutionis spoliatorum possessoria est, quippe pertinens ad interdictum possessionis recuperandæ, idèd rectè hic subnequitur, postquam de causis possessoriis in genere dictum fuit.

### CAPITVLVM I.

**Licet.**

#### PARAPHRASIS.

Apud Gregorium IX. Pontificem l. 12. aliàs 130. ad Constantium Episcopum conquestus est Philafius Cæcus, campum suum ab officialibus seu famulis Ecclesiæ irrationabiliter occupatum esse. Respondet Pontifex, si ita se res habeat, tamen si alioquin ante omnem contentioem de proprietate restitutio Campi cæco fieri deberet, tamen quia Eventus Ecclesiæ eius Diaconus consentiente cæco obtulit se legitime probaturum, quod Campus ille de iure spectet ad Ecclesiam, idèd probationes admittendas, & si constiterit esse Campum Ecclesiæ, cæco silentium indicendum, sin autem id probatum non fuerit, tum campum ablatum eidem restituendum esse.

#### SVM MARI VM.

1. Spoliator offerens se ad probandum, quod sibi

dominium competat, ordinariè non auditur ante spoliati restitutionem.

2. Nisi tacite saltem consentiat spoliatus.

3. Auditur etiam in causis saltem beneficiis, si notoriè constet, Spoliato nullum jus competere: in causis verò profanis constare insuper debes notoriè de iure spoliantis.

4. Si ex restitutione spoliato facta sequeretur anima periculum, auditur spoliator, opponens contra restitutionem.

5. Ex delicto famuli obligatur dominus si in eo officio delinquat famulus, cui à domino prepositus est, nisi suam innocentiam probauerit Dominus.

**N**Ota. Spoliator ordinariè non auditur, si se offerat ad probationes dominij sibi competentis, quia spoliatus ante omnem de dominio contentioem restituendus est. *6. In literis h. l. & docet Couarr. in 4. Decret. p. 2 c. 7. §. 5 n. 12.* Ratio est, quod æquum non sit, ut spoliator ex iniquitate sua comodum ferat, id autè fieret, si possessionem quam propriâ auctoritate occupauit, retinere posset, ita ut statim fieret Actor, neq; aliud ab eo requiretur, nisi ut dominium probet. Hæc ratio sumitur ex *Cap. Eum. 18. De Prabend. in 6.* Vbi additur, si quis per violentiam occupet

u 2

bene-



beneficium, quod ipso facto eo priuatus existat, si jus in illo, vel ad illud non habeat. Dixi autem ordinariè, nam Excipiendum est 1. Si spoliatus consentiat, ut Spoliator ad jus proprietatis probandum admittatur, ut habetur in hoc cap. Sufficit autem consensus tacitus, si videlicet Reum seu Spoliatorem volentem jus proprietatis ostendere, non repellat, aut aduersus iudicem volentem super proprietate cognoscere, non appellet aut reclamet, ita ex Communi *Gabrielius l. 5. Conclus. de Restitut. spoliati. concl. 1. num. 61.*

2. *Mascard. volum. 3. Conclus. 1325.* Excipiendum 2. Si vel ex confessione spoliati, vel ex Actis, instrumentis, vel aliunde notorium sit, spoliato jus nullum competere, sed spoliatori. Ita ex communi *Menoehius remed. 1. recuperanda possessionis. Mascard. concl. 1326.*

3. *Gabrielius cit. conclus. 1.* Adde in causis beneficialibus sufficere si notorium sit, spoliato nullum jus competere, cum non concedatur vitiosus seu non canonicus ingressus in beneficium Ecclesiasticum, uti singulariter notauit *Innoc. in cap. Constitutus. de filiis Presbyterorum. Panorm. in c. seq. n. 10. Gabr. n. 115.* & constat ex *Reg. 1. in 6.* Beneficium non potest obrineri sine institutione canonica; sed in profanis inquit Gabr. secundum communiorem sententiam, ut restitutio denegetur, satis non est, quod notoriè constet de nullo jure spoliati, cum etiam prædo, si spoliatur, restituendus sit. *c. in lit. b. v. nisi etiam notoriè constet de jure spoliantis, vti docet etiam Panorm. incit. c. lit. n. 10.* Excipiendum 3. Nisi vertatur periculum animæ, si restitutio fiat iuxta casum. *c. Literas 11. h. t.* Vbi Marito uxor, quæ propriâ auctoritate se separauit, restituitur quoad omnia, excepto thoro, si ea opponat impedimentum matrimonij dirimens.

5. Occasione textûs nostrî quærunt hîc, an Dominus teneatur ex delicto famuli seu officialis. Resp. cum *Bart. in l. Ne quid. c. 2. ff. De incendio, ruina &c. Panorm. hîc n. 7. Siluest. verb. Nauta. q. 5.* Dominum non obligari ex delicto famuli seu officialis, nisi delinquat in eo officio, cui præpositus est, uti colligitur ex *l. 1. §. familia. ff. De publicanis. §. pensio.*

*Instit. de oblig. ex quasi maleficio.* Vbi ratio adiungitur, quia aliquatenus culpæ reus est, quod operâ malorum hominum uteretur; idè quasi ex maleficio tenetur. Cæterum si Dominus extra culpam sit, ut quia à callido famulo, quem bonum ac diligentem esse credebat, & ipse deceptus fuit; tali casu non solum in conscientiæ foro à restitutione damni immunis erit, sed etiam in foro externo, si dominus innocentiam suam probauerit, licet etiam præsumptio juris contra ipsum sit, non tamen est de jure, id est, non tanta, quo minùs admittatur probatio in contrarium.

## CAPITVLVM II.

## Sollicitè.

## PARAPHRASIS.

Scribit Alexander III. ad Vigorensem Episcopum, ut inquirat, quo tempore Henricus renuntiari suo beneficio curato, & si repererit ante factam renuntiationem spoliatum fuisse, testes ab aduersaria parte non recipiat super renuntiatione, priusquam restitutus sit, cum non sit verisimile, Henricum sponte renuntiâsse beneficio, quo erat spoliatus; at verò testes ab ipso Henrico, quibus probare spoliationem velit, si idonei fiat, recipere non intermittat.

## SUMMARIVM.

1. Clericus qui renuntiavit suo beneficio, illius etiam possessionem abdicando, non potest postmodum iudicio possessorio ad recuperandam possessionem contra Clericum spoliantem agere, si post factam taliter renuntiationem spoliatus fuit.
2. Nec admittitur etiam si post spoliationem quidem, in manibus tamen superioris facta fuit renuntiatio.
3. Secus si post spoliationem facta fuit renuntiatio sine auctoritate superioris.
4. Nisi forte in talibus circumstantiis, quæ metûs præsumptionem excludunt, vel cum iuramento possessorio etiam edicto renuntiasset.

Intel-



- 1<sup>o</sup> Intelligi debet hoc cap. in casu, si inter duos Clericos controversia sit, ad quem jus parochiæ pertineat, tum verò distinguendum, vel Titius qui possidebat parochiam, ei actualiter renuntiavit, abdicando statim à se possessionem, iuxta *l. Si quis vi. 17. §. Differetia. ff. De acquir. possess. vbi dicitur quod possessio recedit, ut quisque constituit nolle possidere, hoc enim casu, si renuntians postea eijciatur, non potest agere iudicio possessorio recuperandæ, quia non censetur amplius possedisse, ita colligitur ex textu, & docet *Innoc. hic in fine, & clarus in c. Cum super. n. 3. de Renuntiatione*. Vel spoliatio præcessit, & renuntiatio parochiæ secuta est, tunc vel in manus superioris, vel eius ad quem pertinet acceptare renuntiationem, hoc casu dicendum, quod agenti interdicto possessorio recuperandæ obstat exceptio renuntiationis factæ, ut colligitur ex *c. seq.* Ratio est, quia propter auctoritatem superioris aut iudicis, renuntiatio censetur facta sponte, non ob vim aut metum. *arg. l. Non est verisimile. 23. ff. Quod metus causa.* Consequenter renuntians non admittitur ad repetendam beneficii possessionem, cum ei obstat notorius defectus proprietatis. Vel renuntiatio post spoliationem facta fuit sine auctoritate, tunc spoliatus ante omnia restituendus est, non obstante exceptione secutæ renuntiationis, uti habetur aperte in hoc cap. Ratio adiungitur, quia talis renuntiatio censetur facta, non sponte, sed ob metum, ideòque rescindenda est iuxta *c. Cum super. 5. de Renuntiatione*. Accedit quod ita renuntians non absolute amisit jus proprietatis, sed cum dependentia à superioris ratificatione. iuxta *c. Admonet. 4. de Renunt.* Ergo prius restitui debet, quam de valore Renuntiationis agatur. Ceterum si spoliatus in hoc casu, non tantum juri beneficii renuntiet, sed etiam possessorio edicto, & quidem præsentibus amicis suis, seu cum talibus circumstantiis, ut absit præsumptio metus, iuxta *gl. in l. Transactionem. 35. C. de transactionibus*, tum obstat ei exceptio non agendi de spolio. Maxime si etiam juramentum adiectum sit promissioni seu renuntiationi;*

quandoquidem tale juramentum sine peccato feruari potest, consequenter debet. *c. 2. de pactis in 6. & docet Panormit. in fin. huius cap.* Videatur Flaminius Parisus. De resignatione beneficiorum. *l. 13. q. 5. m. 48. & seq.*

## CAPITVLVM III.

## Accepta.

## PARAPHRASIS.

Publius Clericus questus est Alexandro III. quod per vim Ecclesiâ suâ spoliatus esset, quamobrem Papa rescripsit, si ita se res haberet, ut Ecclesia restitueretur ei, sed adversarius se defendendo dixit, quod frustra ei fieret restitutio, quandoquidem eoram Archiepiscopo Eboracensi Apostolicæ sedis Legato Curatus renuntiavit suo beneficio. hoc cognito rescripsit Alexander III. ad Iudices delegatos, si ipsis constiterit, quod Publius Ecclesiam abiuravit, non coactus, sed sponte, ut ipsi perpetuum silentium imponant.

## SUMMARIVM.

1. Non auditur Clericus spoliatus beneficio, contra spoliatorem, si sponte beneficio tali in manibus superioris resignavit, sine ante sine post spoliationem liberè renuntiaverit, nisi post renuntiationem factam longo adhuc tempore beneficium possedisset.
2. Beneficium legitime vacans, statim alteri conferri potest, eo etiam non vocato, qui adhuc possidet.
3. Si tamen de jure vacet beneficium priusquam tradatur alteri possessio, vocari debet qui defacto possidet, & causa cognosci, nisi manifestè iniustus possessor esset.
4. Si tamen per renuntiationem in manibus Superioris factam vacat beneficium, nihil necesse est vocari renuntiantem, si alteri sit possessio tradenda.
5. Nisi defacto post resignationem longiore adhuc tempore beneficium illud absque notoria iniustitia possedisset.
6. Aut in favorem alterius resignasset.



7. Neque tamē potest propriā auctoritate possessionem beneficij capere prouisus aut resignatarius, sed debet id fieri per executores saltem in casu, quo resignans v.g. beneficium adhuc per se vel per alium possidet, & nisi consuetudo aliud habeat.
8. Qui contulit beneficium, non potest semper possessori auferre etiam detentionem beneficij, nisi superior illius sit.

**N**Ota. Spoliatus beneficio Ecclesiastico, si ei in manibus superioris non coactus sed sponte renuntiavit, non est audiendus, si possessorio recuperandæ agere velit. Ratio indicatur in textu, quia frustra traderetur ei possessio beneficij, ad quod constat eum jus nullum habere, ut dixi in c. 1. h. t. & procedit hæc ratio, siue renuntiatio antecesserit spoliationem, siue secuta sit. Advertit tamen Panormitanus *praced. n. 7.* Si post factam renuntiationem longo tempore manserit renuntians in possessione beneficij, & postea spoliatus fuerit, ante omnia restituendum fore, eod quod defectus juris ac tituli tā notorius non sit, quin potius præsumptio pro possessore pugnet, quod nisi ei jus aliquod competeret, tanto tempore à superiore toleratus non esset.

**2** Quæritur. Si aliquis sponte renuntiavit in manibus eius, ad quem spectat renuntiationem accipere, num beneficium resignatum ei auferri possit. Resp. & Dico 1. Si beneficium quomodocunque vacet, siue de jure v.g. ob adeptionem alterius incompatibilis, siue per mortem, siue per liberam renuntiationem, statim conferri potest ab eo, ad quæ id spectat. hæc est communis, & constat ex c. *Licet 28. de Prabend. in 6. vbi gl. verb. Conferre* notat, si beneficium de jure vacet, v.g. ob adeptionem alterius curati, conferri illud posse etiã non vocato eo, qui adhuc possidet, idque multo magis sentiendum, si vacet per resignationem, ut infra patebit.

**3** Dico II. Si beneficium de jure vacet, v.g. ob affectationem alterius incompatibilis, tū si possessio alteri prouiso tradenda sit, priuatus vocari debet à Collatore Ordinario, aut executore. v.g. Papali; ita habetur in *cit.*

c. *Licet. junct. gl. verb. Te non vocato.* vbi generatim loquitur, quod possessor beneficij, quamuis sine titulo possideat, remoueri non debeat, nisi prius vocatus, & cum causæ cognitione; quod etiam docet *Joan. Andr. cap. praced. n. 3. Panorm. h. n. 5. Flaminus, de Resignationibus. l. 9. c. 19. concl. 15.* Sed arbitror limitandum, nisi manifestum sit, quod possessori iniusto jus nullum competat, tum opus non est citatione aut causæ cognitione; nisi aperte habetur. c. *Quoniam. 10. de filiis Presbyterorum.*

**Dico III.** Si quis in manibus Ordinarij Collatoris beneficium resignauit, potest possessio alteri prouiso dari, etiam non vocato renuntiante. Ita *Innoc. in fine huius c. Panorm. cit. loco.* Quia hoc casu beneficium non tantum de jure vacat, sed etiam ex re ipsa & defecto, perinde ac si beneficiarius morte decessisset. *arg. c. 32. de Renunt. & c. Suscept. 6. de Rescript. in 6.* Siquidem beneficiū sponte resignans in manibus Collatoris, nō tantum jus in illo amittit, sed etiã possessionem. *l. 3. §. in amittenda. ff. de acquirenda possess. & diximus supra, docetq; Panorm. in praced. c. n. 6. Flamin. l. 1. q. 5. n. 13.*

**Excipe I.** Quod post resignationem factam, in manu Collatoris possit nihilominus resignans de facto insistere possessioni, ita ut si aliquo tempore possederit, tanquam sibi jus competat, vocandus sit, antequam priuatur, ut notat *Flaminus Parisius n. 29.* dummodo notorium non sit, illum iniuste insistere.

**Excipe II.** Si quis beneficium resignauit non absolute sed in fauorem alterius coram Papa, tum nō ante censetur possessionem amisisse, quam conditiones ex parte Resignatarij, seu eius cui resignatio facta impletæ sint, quare ordinariē vocari debet resignans, si possessionem beneficij tradere cogendus sit, uti monet idem *Flaminus l. 34.*

**Dico IV.** Ipsemet Resignatarius aut Prouisus nō potest propriā auctoritate possessionem beneficij capere, si antecessor adhuc detineat, sed opus est executore. Ita *Joan. Andr. cap. praced. n. 7. Panorm. h. n. 6. Flamin. cit. q. 5. n. 30.* ubi ait, esse commu-



rem sententiam, quod Resignatarius sine executione possessionem beneficij capere non possit, dum alter detinet. Ceterum si is qui parochiam v.g. resignavit, absens sit, nec alium reliquerit qui suo nomine detineat, tum omnimodè censetur vacare, quare resignatarius prouisus possessionem intrare poterit, si consuetudo loci permittat, ut prouisus possessionem beneficij vacantis per se capere possit, nam multis locis consuetum est, ut Archidiaconus vel alius aliquem installat.

8 Dico 5. Si Collator non sit superior eius, qui beneficium resignavit, aut eo de jure privatus est, potest ille quidem conferre beneficium alteri, etiam non vocato priore beneficiario, ut dixi in 1. asserto; non potest tamen renitenti auferre possessionem aut detentionem, sed id per ordinatum eius superiorem impetrare debet, ita docet *Panorm. l. i. c. 8.* & bene probat, quia simplex Collator beneficij, non potest exercere actus jurisdictionis contentiosa, sed conferendo beneficium, censetur functus officio suo.

## CAPITVLVM IV.

## Audita.

## PARAPHRASIS.

Cum Titus Clericus Alexandro III. conquestus esset de indebitis molestationibus, quas super Ecclesia sua, Humbertus alterius Ecclesie personatum habens inferret; Rescripsit Papa ad duos Episcopos, ut si ipsis collaret, quod Humbertus alterius Ecclesie personatum haberet, vel juramento affirmasset, se in posterum Tito super Ecclesia sua controuersiis non moturum, ipsum à molestia inferenda repellerent. Sed Humbertus ad Papam nuntium destinavit, qui proponeret, ipsum per violentiam Ecclesia spoliatum esse, quamobrem Papa alteras literas ad eosdem iudices scripsit; si ita res se haberet, ut testes super jurata renuntiatione post violentiam facta non reciperentur, sed probata violentiam, quod iustum est, decernerent, non obstantibus prioribus literis, ex parte Titi impetratis: imò si quidpiam ex eo tempore, quo Nuntius Romam versus iter ar-

ripuit, circa causae statum immutatum fuit, id non obstantibus primis literis rescindant. Interea verò cum hæc posteriores literae advenirent, iudices secuti priorum literarum formam, utrumque cognouerunt, & quod Humbertus personatum alterum possideret, & quod Ecclesie juratus renuntiasset, idèq; ei prohibuere, ne deinceps molestiam inferret; Denique verò toto hoc intellecto processu, tertio responso scribit idè Alexander III. quod non ita intellexerit, neque intelligi debuerit, quasi rescindi oporteret, quæ auctoritate primi rescripti legitime acta essent, sed si quæ per præsumptionem aut violentiam, quare mandat, ut si sententia ab illis lata sit, priusquam alterum rescriptum acceperunt, eam firmam manere, & si contra eam quidpiam statutum sit, id sublata appellatione revocari debeat, sin autè post alteras literas papales, sententia ab ipsis lata fuerit, eam non obstante, secundum tenorem eiusdem secundi rescripti appellatione remota procedant.

## SUMMARIUM.

1. *Contra molestantem in causa beneficii agi potest interdicto uti possidetis. Si molestatio sit extra iudicialis, non autem si sit iudicialis: neq; in illo casu ad vincendum in possessorio plus probare debet possessor contra fatentem molestationem illatam, quam quod sibi pro illo possessorio competat.*
2. *Potest possessor in causa beneficii contra molestantem etiam agere negatoria in rem actione, qua tamen actio per exceptionem violentie spoliationis repelli potest.*
3. *Si iudex contra privilegium iudicii possessorij prius recipiat testes in petitorio, nihil reclamante spoliato, valet sententia lata in petitorio contra spoliatum: quamvis ex officio, vel ad instantiam etiam spoliati procedere adhuc possit, contra spoliatorem ad expensas saltem aut damna reparanda, vel actione iniuriarum propter iniustam vim.*
4. *Princeps rescribendo ut rescindantur, quæ acta aut mutata sunt in causa, non censetur intendere, ut legitime acta rescindantur, aut quæ juri alterius acquisita praeiudicant.*

Note



**N**Ota I. In causa beneficiali agi potest interdicto *uti possidetis* contra turbatorem seu molestantem, ut cesset à molestatione. Sed quidnam debet actor probare? Resp. ex communi, quòd non debeat probare jus seu titulum, sed se in possessione esse, & alterum extrajudicialiter turbasse, seu molestiam sibi possidenti intulisse, v. g. Ne decimas aliòsq; parochiales proventus percipere possit. Ceterùm si is, qui turbasse se fatetur, ostendat in antiquiore se possessione rei & juris esse, sive se ante illum possedisse, tum possessor iste novus censebitur clam, precariò, aut per vim possessionem nactus esse, nisi titulum ostenderit. *c. Licet sanctam. de probationibus.* Adverte duplicem esse molestationem, vna judicialis est, si v. g. Titius Caio litem moveat coram iudice super jure decimarum, dicens ad se pertinere, & hoc casu locum non habet interdictum *uti possidetis*, cùm Actor qui prior provocavit, paratus sit petitorio iudicio probare jus suum; ut bene docet hìc *Innoc. in princ. Panorm. n. 8.* Altera est molestatio extrajudicialis, quæ sufficit ut possessori concedatur actio possessoria retinendæ, quamobrem si quis à Papa impetrare velit rescriptum de iniuriis molestationibus inhibendis, exprimere debet, quòd sint extrajudiciales, & hoc casu, si reus citatus molestationem illatam non neget, sed aliter repugnet intentioni actoris, dicendo possessionem sibi competere, tum opus non est, ut actor turbationem probet, sufficit si ostendat, sibi præ illo possessionem competere, ita ut vincere debeat in iudicio possessorio, salvo tamen jure proprietatis, si petitorio experiri velit. Ita docet *Bart. in l. Si prins. n. 3. Jason n. 22. ff. De novi operis nunt.* & alij apud *Panorm. hìc n. 8.* Nam hoc casu Reus conventus, ipso facto turbat possessionem actoris, dum ei in iudicio contradicit litem contestando. Id obiter annotare hìc placuit, accidit quandoque, ut parochus v. g. super jure decimandi, aut Prælatus super jure inventandi, bona Clericorum defunctorum ab alia Ecclesiastica persona turbat<sup>9</sup> in possessione, causam hanc trahat ad forum sæcularis principis, solent

enim sæculares iudices super causis huiusmodi spiritualibus iudicare, si quæstio sit de Possessione, sed quia id non rectè fit, idèd consultum est personæ Ecclesiasticæ, quæ à iudice sæculari super huiusmodi iudicio possessorio citata est, ut mox totam causam trahat ad forum iudicis Ecclesiastici, v. g. ad Papam, ita ut institutà actione in rem negatoria, si titulum à se probari posse confidat possessorium etiam seu redintegrandæ seu retinendæ possessionis accumulare possit, iuxta ea quæ diximus *c. Super. 4. tit. preced.*

**N**Ota II. In causa beneficiali possessor agere potest negatoriã in rem actione contra molestantem, ita ut petat possessionem sibi quietam effici & declarari, adversario jus nullum in beneficio competere, ut docuimus *cit. c. Cùm super.* & sumitur ex isto *c.* Atque hoc casu possessor non tenetur titulum probare, cùm ratione possessionis habeat præsumptionem tituli pro se, donec contrarium ostendatur, sed debet probare adversario jus non competere, ut hìc probatum est ex duplici capite, videlicet, quòd Humbertus juri parochiæ, super qua liserat, juratus renuntiãrit, & quòd alterum personatum possideret, cui parochia incompatibilis esset, uti *Imola notavit hìc n. 7.* Verum tamen hæc actio in rem negatoria repellitur per exceptionem violentiæ, si nimirum Reus conventus dicat, se per vim spoliatum esse possessione. hoc casu ante omnia de spoliatione cognoscendum est, eaque probatã spoliatus restituendus, uti ex hoc cap. patet, secundùm integram lectionem. Interim verò non prohibetur spoliator petitorium iudicium intentare, nisi à iudice in pœnam spoliationis per sententiam priuatus sit iure suo. *c. Eum qui. 18. de prebend. in 6.* sed hoc casu non sufficiet actori probare spoliato & restituto in possessionem jus nullum competere, sed debet probare jus suum seu titulum institutionis suæ, ut in petitorio obtinere possit, secundùm *gloss. in c. Pastoralis. verb. intentare,* de causa possessionis & proprietatis.

**N**Ota III. Licet iudicium possessorium privilegiatum sit, ut super eo prius testes recipi,



cipi, & probatâ spoliatione restitutio fieri debeat, si tamen iudex hunc ordinem non observet, sed testes in petitorio prius recipiat, seu ad ostendendum jus nullum adversario molestanti competere, atque spoliatus contra ordinem procedendi non reclamet vel appellet, valebit sententia lata super petitorio contra spoliatum, ita ut postea admitendus non sit, cum obstat ipsi defectus notorius proprietatis. Ita colligitur ex hoc e. quando Papa respondit sententiam à iudicibus latam secundum priorum literarum tenorem ratam esse oportere, non obstante spoliatione, quam Humbertus objiciebat, dummodo sententia à iudicibus lata sit, antequam alteras literas papales prioris processus inhibitorias acceperunt. Idem docet glossa in *Summa. Causa 2. q. 1. verb. Quod autem. Panorm. in cap. Cum dilectus. n. 8. de causa possessionis.* Nihilominus iudex in tali casu ex officio procedere poterit contra spoliatorem, vel etiam ad instantiam spoliati, saltem ad expensas & damna compensanda, vel actione iniuriarum propter iniustam vim.

4 Nota IV. Si princeps scribat, ut rescindantur, quæ acta aut mutata sunt in causa, non debet id extendi ad ea, quæ legitimè acta esse constat, cum Princeps non censetur legitima rescindere velle, aut juri alicuius acquisito præiudicare. Ita *Panorm. hic. n. 5. Imola num. 6.* ubi similiter ait, si Papa jubeat alicui conferri beneficium, non obstante collatione alteri prius factâ, accipiendum esse hoc de collatione non legitimè factâ.

## CAPITVLVM V.

## In literis.

## PARAPHRASIS.

Titius apud Iudicem questus est, quòd ab aliquo violenter eiectus esset de beneficij possessione. Sed adversarius respondit, Titium canonicè institutum non fuisse. Hoc casu prius de violentâ eiectione, quam de canonicâ institu-

tione cognoscendum, ait Pontifex, cum etiam prædo secundum juris rigorem restituendus sit.

## SYMMARIVM.

1. Spoliato per vim beneficio, ante factam restitutionem, opponi utiliter non potest defectus proprietatis.
2. Conformior juri sententia est, quòd ad instantiam saltem spoliatoris cogi à iudice non possit beneficio spoliatus, ad recuperandam possessionem agens, ut titulum suæ restitutionis ante factam restitutionem justificet, aut saltem coloret.
3. Potest tamen ad hoc cogere iudex ex officio post factam restitutionem, si presumptio juris sit contra possidentem, vel etiam ante restitutionem, si magna sit contra eum juris prescriptio.
4. Nisi possessor spoliatus sit laicus, qui ante omnem restitutionem justificare debet titulum possessionis rerum aut jurium spiritualium, vel saltem colorare.
5. Neque sufficit Laico ad verum jus & titulum spiritualium rerum probandum sola immemorialis possessio, quamvis magna possit ex tali possessione pro titulo haberi prescriptio, ita ut in possessione relinquere possit, dum de contrario constat.

Notandum vnicum. Per vim beneficio spoliatus, seu possessione eiectus, ante omnia restitui debet, neque potest ei obijci defectus proprietatis, etsi spoliator paratus sit in continenti probare; & hoc in odium spoliationis, & in favorem spoliatorum meritò constitutum fuit. Quare hic locum non habet dictum *Jur. Consult. in l. 8. de doli except. Dolo facit, qui petit quod redditurus est*, sed in aliis possessoris judiciis locum habet secundum *gl. in cit. l. verb. Redditurus est.*

Quæritur hic 1. Vtrum spoliatus beneficio, si agat interdicto recuperandæ, teneatur justificare seu colorare titulum suæ institutionis; plerique affirmant, inter quos *Menochius, remed. 15, n. 4. Mascard. conclus. 132.* & videtur ita sensisse *gl. final. in Clem. vn. de*



de causa possessionis. Ratio dari debet ex eo, quia si possessio admixtam habeat causam proprietatis, ita ut alicui sine titulo competere non possit, tum agens iudicio possessorio debet ostendere, aut saltem coniecturis seu præsumptione aliquâ colorare titulum, ut docent Legistæ in l. 2. §. *quadam. ff. de interd. Canonistæ. in c. Ex parte. 14. h. v.* sed possessio beneficij videtur involvere causam proprietatis, iuxta *Reg. 1. in 6. Ecclesiasticum beneficium absque canonica institutione obtineri non potest, ergo possessio beneficij alicui non restituitur, nisi titulum justificet, aut saltem coloret, ostendendo videlicet, se institutum esse ab eo, qui potestatem habebat, aut se tanto tempore sciente ac patiente superiore in beneficij possessione fuisse, & hanc sententiam in praxi seruari, testantur DD. citati. Contrariam verò sententiam quæ de jure videtur vera, defendit hîc Panorm. & alij quidam Canonistæ apud Menoch. n. 459. quòd iudex saltem ad instantiam spoliatoris cogere non possit spoliatum, ut titulum justificet, quandoquidem in odium spoliatoris suspensò iudicio proprietatis statim agi debet de spoliatione. *cir. Clem. Vn. & cognitâ spoliatione restitutio spoliati fieri, tum etiam prædo secundùm juris rigorem restituatur, ut hîc dicitur.**

Limitant aliqui hanc sententiam, si juris præsumptio sit contra spoliatum, tum restituendum non esse, priusquam titulum justificet, sed contra hanc limitationem est, *c. 3. De Procurat.* Vbi intitulatus in pluribus Ecclesiis, si spoliatus fuit, prius restitui iubetur ad præbendam, & postea ei imperandum à superiore, ut canonicam institutionem ostendat; Etenim licet adversarius cogere aliquem non possit, ut titulum beneficij à se possessi ostendat. *l. Cogi. XI. Cod. de petit. hered.* tamen superior ad id cogere potest, si præsumptio sit contra possidentem, aut spoliatum, ut constat *ex cit. c. 3. in n. gl. verb. Probare.* Imò verò si valde magna præsumptio sit contra spoliatum, iudex ex officio petere potest, ut titulum justificet, priusquam ei possessio restituatur, ne

alioquin iterum detur ingressus vitiosus seu intrusio; & ita defendi potest comunis praxis; de qua Menochius & Mascardus, testantur quòd spoliatus beneficio non restituitur à iudice, nisi prius titulum institutionis coloret. Aliter verò limitari debet hæc sententia; si jus commune non tantum resistat spoliato, sed etiã assistat spoliatori, tum spoliatum non restituit, nisi prius titulum justificet. *c. 2. eod. tit. in 6.* ut ibidem dicemus.

Ad fundamentum prioris sententiæ, neganda est minor, quòd possessio beneficij se jungi non possit à proprietate seu titulo, neque id colligitur *ex cir. regula 1.* cum tantum dicatur, quòd sine institutione canonica beneficium obtineri non possit, ut videlicet jus in eo acquiratur, interim verò possideri potest beneficium absque institutione canonica, ad eò quidem, ut si bona fides accedat per tempus legitimum, videlicet triennij lapsum, sine alieno titulo jus in beneficio per usucapionem acquiratur, ut ex probabili sententia docui *lib. 3. tract. 1. c. 1. n. 16.*

Sed alia ratio est de laico, is enim possidere non potest jus beneficij, aut decimarum aliudve spirituale sine titulo seu concessione Prælati Ecclesiastici. *Arg. c. Causam, de Præscript. c. 1. 2. §. quadam. ff. De interd. & docet gl. in cit. c. Ex parte. Panorm. n. 24.* Vbi egregiè tradit, quòd possessio beneficij aut juris decimarum in laico habeat involutam causam proprietatis seu tituli, ideòque laicus spoliatus possessione, prius restitui non debeat, quàm titulum possessionis justificarit aut saltem colorarit. Quod ideò addo, quia in possessorio hoc iudicio recuperandæ, exigenda non est exacta probatio tituli, cum iudicium petitorium integrum maneat contra restitutum.

Dubitabit aliquis utrum sufficiat hoc casu, si laicus ostendat possessionem immemoriam, quæ sibi & antecessoribus suis competebat in percipiendis decimis parochialibus. Resp. Ita in praxi præsertim iudicium sæcularium receptum esse, quæ praxin quòd damnare non audeam, dixi *l. 4. tr. 6. eò quòd, ex immemoriali tempore magna præsumptio tituli sit, saltem ad hoc, ut tempore tan-*

to in



to in possessione pacifica existens ad restitutionem decimarum compelli facile non possit, non autem (quod maxime annotandum est) ut in veritate jus ac titulum propter temporis immemorialis lapsum acquirat; sed omnino removendus sit laicus, si postea clarè comperiat, legitimam concessionem non antecessisse. Casus est iste: Nobilis in Suevia ostendere potest à tempore cuius initij nulla memoria extat, se & maiores suos decimas parochiales percipisse, sed nescit quo titulo, aut cuius Prælati cōcessione hoc jus ad eos pervenerit. Postea autem casu reperiuntur literæ, ex quibus apparet, quòd Abbas Monasterij, cui parochia incorporata erat, eam ipsam parochiã unã cum pertinentiis & jure decimarum certã summã pecuniæ ante annos ducentos simoniacè & iniquè ac invalidè vendiderit. Dico, quòd Prælati eiusdem Monasterij modernus, aut eo negligente Episcopus has decimas repetere possit ac debeat, neque enim nobilis obijcere potest, se & maiores jus decimarum præscripsisse, *nam sine possessione præscriptio non procedit. Reg. 3. in 6.* Atqui decimæ Clericales à laico sine concessionem Prælati Ecclesiastici legitimã possideri non possunt, sed tantum detineri defacto. *cit. c. Causa.* Erronea autem persuasio, aut præsumptio orta ex temporis diuturnitate, licet bonam fidem fortasse inducere potuerit, non tamè jus aut titulum tribuere.

Quæritur 2. Quomodo intelligi debeat, quòd etiam fur & prædo secundum juris civilis rigorem restituendus sit. *l. Bona. 31. ff. Depositi.* Resp. Id à Jur. Consult. de deposito dictum esse, in quo fides data ad eò servanda sit, ut etiam spolia sua apud te deponenti prædoni restituere debeas. dummodo id fieri possit absque damno veri Domini, si videlicet persuadere tibi possis ipsum met furem restitutum, sed quia id rarum est, idèò æquitas naturalis plerumq; postulat, ut prædo non restituatur in possessionem spoliatorum iniquorum; quã de te dixi *l. 3. ir. 2. c. 9. n. 5. & ir. 4. c. 25.* Porro dictum hoc Jur. Consult. Papa hic adduxit argumentãdo à majori ad minus, si enim jure civili sta-

tutum est, ut qui noscitur esse prædo, in possessionem suam restituatur, quãto magis restituendus est priuatus possessione beneficii, si notorium non sit, eum intrusum seu iniquum possessorem esse, tamet si quæstio de jure institutionis ei moveatur.

## CAPITVLVM VI.

## Item, cùm quis.

## PARAPHRASIS.

Quæstus aliquis est apud Judicem de Caio, quod possessionem suam clam ingressus sit, & violenter eum eiecerit, potestne Caius ipsi crimen obijcere? ut eum ab actione repellat. Respondet Alexand. III. Ob talem exceptionem, causam principalem iudicii possessorij retardari non posse, cùm enim Reus convectus præsumatur esse inimicus actori, idèò non permittitur eum criminaliter accusare, antequam restitutio facta sit.

## SUMMARIUM.

1. Obiectio criminis spoliato facta non suspendit possessorium iudicium rei recuperanda.
2. Nisi obijciatur spoliato agenti excommunicatio, quo in casu suspenditur possessorium hoc iudicium donec actor absolvatur, vel nisi crimen obijciatur, ratione cuius est inhabilis ad possidendum: vel nisi obijciatur notorius defectus proprietatis.
3. Potest etiam à iudice ex officio prius spoliari beneficio, quàm restituatur, si crimen ei notorium obijciatur, quod priuationem meretur.
4. Afferuntur varia interdicti species quæ competunt spoliato.
5. Causa possessorij iudicii dicitur Principalis, non in ordine ad iudicium petitorium, sed in ordine ad alias incidentes quæstiones, aut exceptiones.

**N**Ota I. Iudicium possessorium recuperandæ expediri debet usque ad spoliati restitutionem, non obstante obiectione criminis.

Quæritur 1. An universim verum sit, quòd obiectio criminis nõ suspendat spoliati possessorium iudiciũ, sed potius ab eo suspendatur. Resp. Cum *Ant. & Panorm. hic n. 8. Imola in fine.* vel agenti hoc interdicto ob-



jicitur excommunicatio, tunc suspenditur possessoriū donec Actor absolutus sit, iuxta *gl. in c. 3. verb. Aliud. De procurat.* Vel obicitur aliud crimen, & tunc vel est tale quod reddat inhabilem ad possidendum, ita ut si agenti possessorio recuperādi beneficij, obicitur, quod sit Christianus fictus seu non baptizatus, aut Clericus fictus, seu non tonsuratus, tunc ante restitutionem cognosci debet de qualitate clericali quæ est fundamentum possidendi beneficium; vel est tale crimen quod non incapacem possessionis reddit, sed priuat proprietate ac titulo, tunc vel ipso facto eoque notorio priuationem aut tituli invalidationem continet, tali casu in materia beneficiāli obstat exceptio, quæ dicitur notorius defectus proprietatis, ut si aliquis dicatur notoriè intrusus, aut per propriam Simoniam promotus, idémque sentiendum est, si talis exceptio statim probari queat, secundum *Panorm. hic. n. 11.* vel denique est crimen, ob quod aliquis à iudice priuari possit beneficio acquisito. v. g. homicidium, adulterium, & hoc casu exceptio criminis non impedit restitutionem spoliati, quamvis iudex ex officio antequam hominem restituat, si crimen eius notorium sit, priuationem inferre possit, ne frustra ei restituat beneficium mox iterum auferendum.

Quæritur 2. Quale interdictum adversus eum competat, qui clam possessionem ingressus est; Resp. Cum *gl. verb. Clam.* Si Titius te absente nullòque alio relicto, qui nomine tuo possideat, ædes tuas occupavit, tūque reversus cum possessionem corporalem recipere velles, repulsus fueris, competit tibi interdictum *Vnde vi. l. Clam. 6. §. Qui ad nund. iunct. l. seq. ff. De acquir. possess.* Quod si ob metum seu terrorem Titij accedere ausus non es ad recuperandas ædes ex eo quoque tempore civilem possessionem amisisse, ac veluti spoliatus censeris, ut etiam tunc possessorium iudicium recuperandæ tibi competat, ut colligitur ex *cit. l. & docet Panorm. hic. n. 4.* Sin denique reversus auderes quidem possessorem clandestinum repellere, sicuti & jure posses, malis tamen

id fieri iudicis autoritate, tum competit tibi interdictum *vi possidetis*, quia retines adhuc civilem possessionem, quæ tamen hoc ipso turbatur, quod alter detinet corporalem, ut *gl. notavit cit. §. Qui ad nund. verb. Non clam.* Matthæus Wesenbecius de *Act. & interdict. c. 12. n. 11.* veruntamen actio huius interdicti habebit effectum restitutorium, cum turbatio hoc casu cessare nequeat, nisi restitutâ possessione corporali. Est & aliud interdictum, de quo agitur tit. Digestorum, *quod vi aut clam*, & competit si in solo alieno, aut cuius possessio ad alterum spectat, quidpiam ædificatum sit, tunc si denuntiatum seu inhibatum fuerit ædificatori, & nihilominus petrexit, vi ædificasse censetur; sin autem ædificans celando adversarium operatus fuit, quia timuit controversiam sibi motum iri, tum clam fecisse censetur, *l. 3. §. clam. ff. eodem.* Atque utroque casu competit actio, ut ædificatum destruat, & sumptus ac damna refundantur. *l. 1. ff. Quod vi & clam. l. Semper. 15. ff. eodem.* sed nec exceptio juris competentis opponi potest, quo minus restitutio seu demolitio fieri debeat. *cit. l. 1. §. Denique, exceptis casibus expressis, in cit. l. 3. ff. eodem.*

Nota II. Causa possessoriij iudicii dici potest principalis, non in ordine ad iudicium petitorium, quippe quod principalis est possessorio, sed in ordine ad alias incidentes quæstiones aut exceptiones: sic v. g. si monasterium agat interdicto *vi possidetis*, conquerens apud iudicem, quod à vicino Comite aut Prælato impediatur in jure decimandi, pascendi, inventandi, qui etiam aliquos officiales Monasterij ceperit & incarcerârît, tum mittetur ei mandatum sine clausula de Relaxandis captis, & citabitur ad certum diem, ut fidem faciat de paritione seu facta relaxatione, atque insuper, ut respondeat super causa principali in possessorio iudicio.

## CAPITVLVM VII. Conquerente.

PARAPHRASIS.  
Intellexerat Alexander III. quod Archiepiscopus



scopus Cantuariensis Robertum Clericum, non seruato Juris ordine parochiâ spoliârit, id Papa reprehendendum esse ait, nisi causâ manifesta & rationabilis permittat, quare mandat illi, si narrata vera sint, vt dicto Roberto parochiam unâ cum fructibus perceptis restituar, eumque pacificè possidere permittat, facta autem restitutione si quid disceptationis super parochiâ contra Robertum habeat, coram Episcopo Exonensi sedis Apostolicæ Delegato, per se vel per idoneum procuratorem ordine judiciario experiri poterit.

## SUMMARIUM.

1. *Contra judicem extrajudicialiter iniuste spoliantem non minus agi potest interdicto recuperanda, quam contra aliam priuatam personam.*
2. *Nisi causa auferendi manifestè notoria sit, aut concessum sit ipsi ex officio agere absque juris ordine.*
3. *Eadem actio conceditur spoliato contra judicem, qui in iudicio spoliavit, competens tamen iudex non est, vel saltem vitium substantiale commisit, non seruando juris ordinem. Secus si competens iudex sit, aut accidentalem tantum errorem commisit, ordinem juris immutando.*
4. *Pro iudice tamen competente semper est præsumptio, quòd iuste processerit.*

- 1 **N**Ota, Contra judicem iniuste spoliantem competit interdictum recuperandæ, ita ut ante omnia restituendus sit spoliatus. Ita *Joan. Andr. hic in princip. Imola n. 5.* sed pro maiori intellectu ita distingue: Vel iudex extrajudicialiter seu nullo juris ordine seruato auferat beneficium Clerico, tunc censetur veluti priuata persona, ut proinde agi possit interdicto recuperandæ, ut hic apparet. Excipe 1. Nisi causa auferendi beneficium notoriè manifesta sit, quia in notoriis juris ordo non requiritur, sed quia hoc casu præsumptio est contra judicem, idcò ipsi probatio incumbit, causam auferendi esse notoriam. Excipe 2. Si iudici
- 2
- 3

concessum sit quidpiâ ex officio agere absque juris Ordine, v. g. ob necessitatem, ut impediatur scandalum vel peccatum, sicuti hic monet *Panorm. n. 15. Mascard. Concl. 1314. n. 14.* Vel iudex in iudicio spoliatur sententiâ latâ; tunc vel est competens vel incompetens, seu iurisdictione actualiter non præditus, hoc posteriori casu perinde est, ac si extrajudicialiter, & ut priuatus spoliaret, uti docuimus in *c. Cum Causa. 22. de offic. delegat. v. g.* si iudex laicus contra Clericum sententiam ferat, aut contra laicum in causâ Ecclesiastica. In priori autem casu si iudex judicialiter processit, sed ordinem juris non seruauit, tunc distingue, num vitium substantiale sit, ex quo sententia ipso jure nulla redditur, consequenter eius executio spoliatio censetur, ut si in iudicio ordinario lite non contestata sententia definitiua dicta sit, vel si sententia intolerabilem errorem, adeoque manifestam iniustitiam contineat, ut si lata sit contra legem apertam usûque receptam, vel si contineat expressiorem causâ notoriè falsâ, in qua vel adæquatè vel principaliter sententia fundata sit, uti docet Sancius de nullitate ex defectu processûs. *n. 128.* An verò defectus tantum sit mutatio Ordinis accidentalis, ut si petitorium iudicium tractetur ante possessorium: hoc casu sententia valet & executioni mandabitur, nisi appellatum sit, idemque est, si sententia lata sit contra jus dubium aut intricatum, uti Sancius docet *n. 124. & n. 16.* ubi aptè distinguit inter ordinem iudicii qui est de substantia, & cuius ommissio ipso jure vitiat processum, & inter ordinem qui est de iustitia, cuius ommissio processum non facit irritum, sed ope appellationis aut supplicationis rescindendum.

Id solum adde, pro Iudice judicialiter procedente aut sententiam exequente, si iurisdictione præditus sit, semper esse præsumptionem, quòd iuste processerit, consequenter qui contra eum tanquam spoliatorem agere vult, probationes edere tenetur.

\* \*

\*

x 3

Cap.



## Ex transmissa.

## PARAPHRASIS.

Mulier quædam separauit se à viro, præten-  
dens fortasse impedimentum consanguini-  
tatis: super hac causa respondet Ale-  
xander III. si constet, quòd mulier legiti-  
mè desponsata sit viro; ab eaque cog-  
nita, esse ipsi restituendam, recepta cautio-  
ne sufficiente de non offendendo: sin au-  
tem vir odio capitali mulierè prosequa-  
tur, ita ut ipsi periculum timeatur, tum  
restituenda non est, sed custodienda in  
loco tuto, ubi vir & parentes eius nullam  
violentiã inferre queant.

## SUMMARIVM.

1. Pro matrimonio in facie Ecclesie contracto  
presumptio est, quòd sit validum, donec  
impedimentum dirimens ostendatur.
  2. Coniux post matrimonium consummatum  
spoliatus, plene est restituendus, etiam  
quoad torum, nisi impedimentum quod  
obijciatur notorium sit, aut in continentia  
probari possit.
  3. Nondum autem consummato matrimonio  
spoliatus tantum restituitur quoad ha-  
bitationem, non autem quoad torum si  
impedimentum dirimens obijciatur.
- 1 **P**RO intellectu textus: Adverte 1. Quòd  
sermo sit de sponsalibus de præsentè, a-  
deòq; matrimonio, eòque in facie Ecclesie  
contracto; nam pro tali matrimonio præ-  
sumptio est, esse validum donec impedi-  
mentum dirimens ostendatur.
- 2 Adverte 2. Sermonem esse de matrimo-  
nio consummato, hoc casu plena restitutio  
coniugis se separantis fieri debet, etiam quoad  
torum non obstante obiectione occul-  
ti impedimenti dirimentis, nisi id notorium  
sit, aut statim probari possit. *c. Literas. 13. h.*
- 3 Si quidem per matrimonium consumma-  
tum plena possessio coniugis acquiritur, igitur  
spoliatus plene restitui debet. Sin au-  
tem matrimonium consummatum non fu-  
erit, tunc restitutio fit quoad habitationem,

non item quoad torum, uti etiam colligitur ex  
capitulo *Ex Conquestione 10. h. t. & c. c.*  
*Literas*, idque probari debet, quia si post  
matrimonium bonâ fide contractum oria-  
tur dubium de valore eius, & coniux præ-  
missâ diligente inquisitione veritatem de-  
prehendere non possit, coniugij usum pete-  
re quidem potest, cum sit in possessione ali-  
qua juris, quo in dubio priuari non debet;  
non potest tamen cogere alterum, præfer-  
tim feminam ad reddendum, si quæstionis  
matrimonialis decisio paulò post à iudice  
futura sit, exponeret enim se valde graui pe-  
riculo, si postea contra valorem matrimo-  
nij pronuntietur, & ipsa corrupta sit, ut ne-  
que alterum honestum matrimonium con-  
sequi, nec inter sacras virgines in Monasterio  
velari queat. Reliqua dicuntur in *cit. c. Con-  
questione. & c. Literas.*

## CAPITVLVM IX.

## Cùm venisset.

## PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Eboracensis Ecclesiam quã-  
dam viuente eius Rectore donauit, & cõ-  
corporauit Ecclesie Collegiate, ita ut  
mortuo Rectore redditus uniuersus ad col-  
legiatam peruenirent, interim verò à Re-  
ctore auctoritate eiusdem Archiepiscopi  
pensio annua Collegiate Ecclesie solue-  
retur, eamq; concessionem Papa suâ au-  
thoritate confirmauit, accidit autem, ut  
mortuo Rectore, cùm Canonici ab Ar-  
chidiacono & quodã alio Clerico paro-  
chiam illam affectantibus, sibi timerent,  
non requisita auctoritate Archiepiscopi  
possessionem parochie ingressi sint, mox  
autè pluribus rebus quas Rector obiens  
reliquerat ab Archidiacono spoliati. Hac  
controversiã cognita respondit Alexan-  
der III. Cùm Canonici annuam pensio-  
nem à Rectore dum viueret perceperint,  
non vitiosè ingressos esse in possessionem  
parochie, etiam sine Archiepiscopi auto-  
ritate, siquidem iure cautum est, etiam  
eum possidere, qui per alium possidet.

SYM-



## SUMMARIUM.

1. Qui civilem possessionem rei consecutus est, dum naturalis possessio penes alium existebat, potest hanc deinde legitime vacantem propriâ autoritate ingredi.
2. Quicumque beneficiatus ratione juris decimarum aliorumq, sua Ecclesia proventuum videtur esse quasi usufructuarius, proprietate scilicet & possessione civili penes Ecclesiam manente.
3. Et ideo beneficiarius jus sui beneficii consecutus agere potest de spolio antequam possessionem sui beneficii accipiat, contra eos qui spoliaverant Ecclesiam decimis v.g. aut pensionibus.
4. Nisi alius esset in possessione exigendi tales decimas aut pensiones, contra quem tantum actio in rem negatoria concederetur.
5. Exigens decimas nomine Ecclesia, titulum aut mandatum ostendere debet, si nondum est in possessione beneficii.
6. Si vero sit in possessione beneficii, nihil necesse est, titulum ostendere, nisi possessio talis nona esset, aut litigiosa.
7. Ecclesia Collegiata v. g. cui altera cum omnibus juribus incorporata fuit, quamvis plenam illius possessionem nondum habeat, quam diu Rector huius Ecclesia incorporata vivit, civiliter tamen eam possidet, si Rector huius pensionem illi solvere debeat.

Controversia in eo versabatur, num Canonici sine auctoritate Archidiaconi ingrediendo possessionem parochiæ se intrusisse ceantur, iuxta *c. 18. de Prab. in 6. l. Si ex stipulatione. s. de acquir. possess.* ubi dicitur, prædonem esse, qui titulum seu causam proprietatis habens, possessionem ipsemet accipit, & non ab eo, qui rem tradere debet; in casu autem nostro, ad Archidiaconum pertinebat Ecclesiarum possessionem tradere, iuxta *c. Ad hac. 7. c. Vi nostrum. 9. de offic. Archidiaconi.* Ergo si Canonici contemptâ eius potestate per se ipsos possessionem acceperunt, ei iniuriam intulerunt, quam ipse repellere poterat, potestatem suam defendendo: quamobrem videtur, quod Canonici contra ipsum tanquâ

spoliatorem agere non potuerint, quin potius ipse cōtra Canonicos, ut jure ac proprietate Ecclesiæ ab Archiepiscopo cōcessâ priventur. *cit. c. Eum. & l. Si quis intantam. 7. C. Unde vi.* Nihilominus Papa pro Canonicis contra Archidiaconum judicat. Ratio dari debet. Qui possessionem civilem rei consecutus est, naturali possessione penes aliū existente, is hanc vacantem, v.g. per mortem usufructuarij aut coloni propriâ autoritate ingredi potest. *arg. l. 2. C. De jure emphyteutico. §. adeo. Institut. de locato.* Sed in nostro casu non tantum proprietate parochiæ acquisita erat Ecclesiæ Collegiata, sed etiam eiusdē possessio civilis. Ipse autē Ecclesiæ parochus in ordine ad jus decimarū aliorumque reddituum habebat se ut usufructuarius. Ergo post mortem eiusdem Ecclesia Collegiata poterat parochiæ possessionem capere, & redditus omnes percipere. Pro Maioris propositionis declaratione: Adverte, quod colonus emphyteuta & Vasallus rem possideat non suo nomine sed alieno. Quare non ipse propriè possidet, sed potius is, cuius nomine possidetur, ut hîc dicitur, & in *l. Quod meo. 18. ff. De acquir. possess.* Requiritur tamē ad hoc ut emphyteuta v.g. alterius nomine possideat, illū habere possessionem civile, nec sufficit habere solum dominium seu proprietatē fundi, si alius in possessione existat, cui videlicet pensiones solvantur. Verū tamen emphyteuta & vasallus sunt in quasi possessione dominij utilis seu usufructus, aded, ut temporis diuturnitate præscribere & super hoc jure possessorio ac petitorio iudicio suo nomine agere possint. Pro Minoris declaratione adverte, quod Rector Ecclesiæ aliūve beneficiarius, ratione juris decimarū & aliorū proventuum sit quasi usufructuarius, cui sola utilitas ad vitam suam competit. At verò idem jus decimarum, secundum proprietatem & civilem eius possessionē ad Ecclesiam pertinet, imò de Prælati Ecclesiarū maximè Regularium, cum meri administratores sint reddituum, rectè dicitur quod jura & proventus tam naturaliter quàm civiliter possideant nomine Monasterij, quare *Innoc. 6. In liter. n. 13. h. t.*

Exin-



- 3 Exinde colligitur 1. Quod Rector Ecclesie aut alius beneficiarius cum primum jus beneficii consecutus est institutione aut confirmatione, agere possit contra eum, qui Ecclesiam spoliavit, v. g. pensiones negando, tamen si ipsammet possessionem non apprehenderit, quia non agit nomine suo, sed nomine Ecclesie spoliatae, quod facere potest, tanquam legitimus eius constitutus administrator, uti docet *Mascardus Conclus. 1323. n. 19.* ubi ait: Beneficii possessor agit ad restitutionem possessionis subtractae, nec opus est probare pensionem sibi aliàs fuisse solutam, satis est docere, antecessoribus solutam fuisse, quia non ipse sed Ecclesia quae possidet, agere videtur. Excipe, nisi sit alius in possessione decimandi vel pensionem accipiendi, tunc Rector Ecclesie, ne quidem accepta possessione parochiae, petere potest à rusticis decimas, aut pensiones à colonis, consequenter nec agere potest contra illos tanquam subtractores, quia propria auctoritate sibi possessionem usurpando, alterum possidentem, seu qui in possessione est exigendi, spoliare censeretur, quare necesse est, ut hoc casu parochus nomine suae Ecclesie contra illum agat, actione in rem negatoria, quae declaratur, ipsi nullum jus competere, ideòque possessionem abdicet & Ecclesie restituat.
- 5 Quæri potest hic, num Prælati, Parochus, aliusve Beneficiarius nomine Ecclesie aut beneficii sui exigens decimas aliòve redditus, titulum ostendere debeat? Respondeo & Dico 1. Si nondum in possessione est, titulum exhibere debet, aut mandatum, quod id faciat nomine & loco Ecclesie. Ita *Panorm. c. Cum super. Innoc. ibid. de causa possess.* Quia si rustici decimas aut pensiones soluerent non habenti titulum, seu intruso notoriè, iterum solvere deberent, uti *Mascardus notavit cit. Conclus. n. 1.*
- 6 Dico II. Si est in possessione, eaque antiqua aut saltem pacifica, non debet ostendere titulum, secus est, si sit recens possessio, maximè si de jure dubitetur, aut lis mota sit, tunc caveant coloni, ne huic solvant, nisi titulum legitimum exhibeat, uti *Panorm. notat loc. cit.*

Colligitur 2. Rectè respondisse Pontificem, quod Rector parochiae jus provenituum possiderit, nomine Ecclesie Collegiatae, non eà præcisè ratione, quia parochia cum omnibus juribus incorporata fuit Collegiatae, nam eà incorporatione proprietas acquisita fuit, non possessio. *c. Pastoral. 19. de Privileg.* sed ideò quia Ecclesie Collegiatae tanquam proprietarie Parochus nomine parochiae pensionem annuam solvit, per hanc enim pensionis acceptionem, Collegiata Ecclesia fuit in civili possessione parochiae & jurium eius, consequenter mortuo parochus tanquam usufructuario, capere etiam potuit possessionem naturalem, quae tunc vacabat, ideòque plenam possessionem & perceptionem reddituum habere. Notum est enim, quod extincto jure usufructuarii consolidetur usufructus cum proprietate, quin imò admonet hic *Panorm. n. 7.* Si habens civilem possessionem ingrediatur naturalem vacantem, quod non censetur de novo acquirere possessionem, sed prius acquisitam continuare, cum naturalis possessio sit accessoria civili.

## CAPITVLVM. X.

## Ex conquestione.

## PARAPHRASIS.

Caius miles Barbaram in uxorem duxit, & filiam procreavit, postea eam sine Ecclesie iudicio repulit, & literas à Papa impetrauit ad iudices delegatos, ut cognoscant, remotà appellatione super impedimento consanguinitatis, sed mulier priusquam à iudicibus citaretur, virum restitui sibi petiit ab Episcopo ordinario, postea verò citata à delegatis, modò per se comparens, modò per procuratorem, ante & post litem contestationem, virum sibi restitui postulavit, cum autem iudices negatà restitutione (quod fieri non debebat) in causa principali procedere vellet, illa ad sedem Apostolicam appellavit. His cognitis mandat Lucius III. Si ita est, ut mulieri vir restituatur, & quae post



post appellationem acta sunt, in irritum revocentur, postea super matrimonij impedimento cognoscatur, ac definiatur,

## SYMMARIUM.

1. Repellens à se coniugem absque iudicio Ecclesie, censetur eum spoliare possessione juris matrimonialis.
2. Si in causa matrimoniali iudicio possessorio proprietatis etiam aliquid admisceatur, solus Ecclesiasticus iudex cognoscit: Si verò præcisè agatur de receptione coniugis repulse, vel de compellendo ad reddendum debitum &c. secularis etiam iudex competens erit.
3. Vxor eiecta à marito contra matrimonium iudicio petitorio agente, potest tam ante quam post litem contestationem per modum actionis petendo restitutionem suspendere iudicium petitorium.
4. Quod ipsum etiam aliis suis iuribus in corporalibus eiecti facere possunt.

**Nota I.** Si Coniux coniugem à se absque iudicio Ecclesie removeat, censetur eum spoliare possessione juris matrimonialis. Vide quæ dicam in c. Literas. h. t.

**Nota II.** Ad iudicem Ecclesiasticum spectat in causa matrimoniali cognoscere etiam super possessorio. Quòd si quæstio proprietatis admisceatur, quia dubitatur de valore matrimonij, tunc solus Ecclesiasticus iudex cognoscet, cum causæ possessionis & proprietatis coram uno iudice tractandæ sint; sin autem valor in quæstionem non veniat, sed solum agatur de receptione coniugis repulse, tum etiam secularis iudex est competens, uti docet gl. in c. Non est. ij. verb. Vxor. de spons. & alij apud Sanch. l. 9. disp. 4. n. 7. Vbi ait idem esse sentiendum de compulsione ad reddendum debitum, quam etiam secularis iudex facere potest, si de valore matrimonij quæstio nulla sit.

**Nota III.** Si Maritus ejiciens uxorem contra matrimonium agat propter impedimentum dirimens, uxor ante & post litem contestatam per modum actionis petendo restitutionem suspendere potest iudicium

petitorium, ita ut prius super possessorio cognoscendum sit, ad uxoris eiectæ restitutionem. Ita Innocent. hic. n. 1. Panorm. n. 7. contra gloss. verb. Ante. Nam alioqui daretur occasio seu stimulus spoliandi, si Spoliator agendo in petitorio, probandòque intentionem, possessorium recuperandæ à se remove possit. Confirmatur ex c. Pastoral. 5. De Causa possessionis.

Quæres, num hæc doctrina locum tantum habeat in Causa matrimoniali, Resp. Cum Imola hic. n. 3. habere etiam locum in aliis causis, quibus agitur de jure incorporali, quòd conventus petitorio, tentare possit possessorium recuperandæ, ita ut suspensio petitorio, hoc prius expediatur. Exemplum. Capitulum Canonicorum agit contra Titium Clericum aetione negatoria in rem, ut à Iudice declaretur nullum ipsi jus capitulare competere; Vel Dominus fundi simili aetione agit contra vicinum, ut declaretur, agrum suum liberum esse à servitute, seu vicino jus nullum actus seu itineris competere, tunc reus conventus ante vel post litem contestatam proponere potest actionem iudicij possessorii, petendo se restitui in possessionem, quæ per vim priuatus sit, videlicet à Capitulo eiectus; à Domino ad fundum nõ admissus; at verò in rebus corporalibus hoc fieri non potest, siquidem in his Actor non possidet, sed petit à possidente, ergo Reus conventus petitorio iudicio, movere non potest actori possessorium recuperandæ, seu ut clariùs dicam, petere non potest se restitui in possessionem sibi ablatam.

## CAPITVLVM XI.

## Gravis.

## PARAPHRASIS.

Archidiaconus invadens Monasterium Dolense, gravia damna intulit, quamobrem Monachi questi sunt apud Cælestinum III. Is rescripsit iudicibus, si rem ita se habere cognoverint, ut cogant Archidiaconum, ablata integrè restituere, damna refarcire, & de illata iniuriâ satisfacere, imò verò ablata & occupata unà cū fructibus



Etibus restituenda esse non tantum ijs, quos violentus possessor percepit, sed quos pristini possessores Monachi percepissent, nisi eis possessio crepta fuisset.

## SYMMARIUM.

1. *Mensura restitutionis facienda in damno formaliter iniusto, est læsio alterius, ita ut eatenus restitui debeat, quatenus læsus est.*
2. *Cui lis mouetur, super re quam hæcenus ut suam possedit, tantum in ordine ad aliquos effectus, male fidei possessor dicitur.*
3. *Debet etiam officio iudicis ad plenam restitutionem compelli iniustus spoliator, quãvis non omnia ab actore petita.*
4. *In aliis tamen iudiciis ad fructus ante litem contestatam perceptos, aut ad expensas non condemnabit iudex, nisi nominatim petantur.*

**N**ota. Possessor malæ fidei, seu formaliter iniustus, restituere debet non tantum rem & fructus rei quos possedit (exceptis merè industrialibus) sed etiam, quos non possidet, & absumpsit, imò & eos quos nunquam possedit, sed Dominus seu pristinus possessor percepisset, nisi ipsi res ablata, aut iniquè detenta esset. De hoc dixi lib. 3. tit. 2. c. 4. Ratio prioris partis est, quia fructus qui ex re aliena percipiuntur, ut frumentum ex agris, vinum ex vineis, lac aut lana ex ovibus, ad Dominum eorum pertinent, non ad iniquum possessorem, deductâ tamen æstimatione laboris ac industriæ, ergo ita restitui debent, aut si non restituantur, sed iniquè absumantur, damnum Domino inferitur, quod refarciendum est. Altera pars probatur, quia malæ fidei possessor refarcire debet omne damnum & lucrum cessans, cuius iniusta causa fuit: quare dici solet, quod mensura restitutionis faciendæ, in damno formaliter iniusto, sit læsio alterius, ita ut quatenus læsus est, eatenus restitui debeat secundum dicta cit. tit. 2. c. 1. n. 2. Loquor autem de malæ fidei possessore, qui propriè ita dicitur, quia iniuste possidet, aut dolo possidere desuit, videlicet iniuste absumendo. Alius autem est malæ fidei possessor, cui supervenit scientia rei alienæ, cum antea probabiliter ignoraret, is a-

liud restituere non debet, nisi quod tempore acquisitæ notitiæ possidet, aut quatenus se ex re locupletiorè tunc esse agnoscit, præterquam si ob usucapionem legitime completam, tutus sit, sicuti dixi cit. tit. 2. c. 3. n. 1. Sed & is malæ fidei possessor dicitur, cui lis mota est super re, quam hæcenus ut suam possedit, l. Sed et si. 25 §. Si ante. ff. De petitione hæred. Id verò tantum pertinet ad quosdam effectus, videlicet ut ex eo tempore, quo lis mota est possessori, usucapio interrumpatur, l. Mora. 26. C. De rei vendit. Item ut fructus rei omnes etiam consumptos post litis contestationem restituere necesse sit, si actor in petitorio vincat. l. Certum. 22. C. eod. Videatur gl. hic verb. Fructus. His addendum, quod ad fructuum restitutionem unâ cum re, atque universi damni ac lucri cessantis compensationem violentus & iniustus possessor compellendus sit iudicis officio, tametsi hæc non omnia petita fuerint ab Actore, uti colligitur ex hoc capitulo, & l. 1. §. Non solum. ff. De vi. At verò satisfactio pro iniuria non venit accessoriè, nisi petatur. Argum. C. Querelam. 24. de Elect. In aliis autem iudiciis, ante litem contestatam percepti fructus nominatim petendi sunt in libello, alioquin ad eos iudex non condemnabit. l. Adilem. 25. §. Item sciendum. Et l. Item si. 130. ff. De adifio. quod & similiter in expensis præstandis observari debet. l. Pactum. 10. ff. De usufruct. Ceterum si fructus jure actionis seu vindicationis debeantur, tum obtentâ victoriâ super re principali, postea fructus jure peti possunt, ita ut lata sententia super re, fidem faciat super fructibus, secundum doctrinam Bartoli. l. Et ex diverso. §. Vbi. n. 3. ff. De rei vindicatione.

## CAPITVLVM XII.

Olim.

## PARAPHRASIS.

Episcopus Tridonensis Fratribus humiliatis domum Calventiæ unâ cum possessionibus agrorum, eâ conditione concessit, ut in eo fundo nomine Episcopi hospitale &



de & Oratorium extruerent, ex possessionibus tres solidos annuos ipsi penderent, & Prælati ibi præficiendus pro se & fratribus, Episcopo & successoribus obedientiam manualē (id est sine scripturâ, interprete gl. c. His qui. De Maioritate.) præstarent. Sed Magister militiæ domum Calventiæ, quâ Humiliati incolebant, cum possessionibus cõsequi affectabat. Quamobrem illos astutē circumvenit, ut ignorante Episcopo, se & sua in manus suas traderent, eâ adiectâ conditione, si Episcopo placeret, sine cuius assensu se nihil facere posse affirmabat; & ita Magister traditionē accepit. Sed mox veluti iure suo utens, multa ex domo abduci curavit, hæc cum intellexisset Episcopus, accessit ad domū unâ cum Canonicis, & quos in ea Custodiæ causa à Magistro militiæ relictos reperit, per vim eiecit. Quamobrem ille tanquâ spoliatus in possessionē se restitui petiit; his intelletis respondit Innoc. III. Magistro negandam esse restitutionem, partim quia domus Calventiæ ab Humiliatis tradita fuit sub conditione consensûs Episcopalis, qui postea non accessit, partim quia Magister clam, & iniuste possessionem usurpavit, quem proinde vim vi repellendo licebat eijcere. Ceterum si Episcopus unâ cum Capitulo modum excessit, in defensione juris sui contra Magistrum militiæ, satisfactionem debitam præstare tenetur, pro iniuria eidem & Domui (seu familiæ) eius illata.

## SUMMARIUM.

1. Possessorium recuperanda non conceditur illi qui in possessione non fuit.
2. Civilem rei possessionem retinens, potest eam ab iniusto invasore aut turbatore defendere etiam per vim, si ita necesse est, & alter abscedere nõ vult, modo hoc fiat in continenti, & modus iustæ defensionis nõ excedatur.
3. Quod non tantum fieri potest circa res mobiles
4. Sed etiam circa res immobiles.
5. Et circa jura etiam incorporalia.
6. In continenti autem cõseris rem tuam de-

fendere, si statim persequaris aut resistas aperta violentia, priusquam in tutum locum a tua persecutione aut resistētia se receperis iniustus spoliator, vel res tuas detulerit.

7. Vel si occulta violentia tibi sit facta, in continenti cõseris rem tuam defendere, si statim ac cognoveris iniustam violentiam, media aggrediaris ad recuperandum necessaria.
8. Moderamen inculpata defensionis cõseris tenere, si tanta sit tua resistētia, quanta prudentis viri arbitrio spectatis omnibus circumstantiis necessaria videtur.

**N**ota I. Ei qui in possessione non fuit, non conceditur iudicium possessorium recuperandæ, cum enim privatio supponat habitum, necesse est, in possessione fuisse eum, qui spoliatum se queritur, quamobrem agens interdicto *Vnde vi*, probare debet, & quod in possessione fuerit, & quod eâ ab adversa vi deiectus sit. *Argum. l. 1. §. Hoc interd. ff. De vi, & tradit gl. hic. verb. Restitutione. Mascard. concl. 1321 n. 23.* sed unde colligimus, quod Magister possessionem domus non accepit. Resp. Quia traditio Domus facta est sub conditione, quæ postea non evenit, consequenter in effectu Magistro possessio acquisita non fuit civiliter.

**N**ota II. Si quis clam seu ignorante possessore, eius possessionem ingrediatur aut occupet, atque abscedere nolit; per vim repelli potest; dummodo fiat in continenti, & modus iustæ defensionis non excedatur; ita habetur in hoc c. Nam Episcopus fuerat in possessione Domus civili, quandoquidem Humiliati eam possidebant nomine eius, quippe proprietatem sibi reservantis, eandem verò domum Magister ignorante Episcopo ingressus est, & occupavit, cum facillè suspicari potuerit, eum contradicturum, & cum in domo aliquamdiu mansisset, non pauca egit & abstulit, quasi jus in domum haberet, consequenter turbavit possessionem Episcopi, non sine iniuria & violentia; At verò vim vi repellere omnia jura permittunt. *l. 3. ff. De iust. cap. Significati. 18. de homicid.* Et debet hoc accipi 1. 3

De rebus mobilibus, v. g. si miles equum tibi



tibi auferat, potes illum persequi, & si opus sit, adhibitis armatis sociis per vim recuperare equum, donec illum miles in locum tutum receperit, tunc verò vim adhibere non licet, si iudicis auctoritate recuperare nequeas, cum enim possessione equi etiam civili seu per legem tibi concessa priuatus sis, iam vim non pateris, quam repellere liceat, sed vim passus es, quam vindicare propriâ auctoritate concessum non est: sed debes coram iudice experiri furti actione, aut vi bonorum raptorum. *l. 1. §. Et generaliter. ff. De vi. 2.* Accipi debet de rebus soli seu immobilibus, v. g. Si quis per vim te extrudat ex ædibus, retines nihilominus possessionem civilem, & si in continenti te ipsi resistendo prævaliturum & corporalem possessionem recuperaturum confidis, quod & licitum est, *l. 1. §. Vim vi. ff. De vi. & l. 3. §. Eum. ff. eod.* potes eum qui cum armis venit, armis repellere, neque enim tantum concessum est tibi resistere, ne deijciaris, sed etiam si deiectus fueris, concessum est tibi, eundem deijcere, non quidem ex intervallo, sed confestim & in continenti. Item si quis clam me absente, ædes meas ingressus sit, civilem earum possessionem retineo, nec amitto nisi postquam intellexero, aggredi etiam hanc alterum sibi occupare, & ego eam conseruare, aut recuperare naturalem intermittam: unde licebit ad conseruandam civilem possessionem ædium & recuperandam naturalem, aggredi clandestinum & iniustum occupatorem, qui eo ipso, quod recedere nolit actualiter & per vim turbare & infestare censetur possessionem civilem meam, ideòque vim vi repellere possim. *l. 3. §. Si quis nuntiet, l. Clam. 5. §. Qui ad nundinas. l. Si id. 25. §. Quidam. ff. De acquirenda possessione.* Potest tamen in tali casu qui civiliter possidet, statim re intellectâ currere ad iudicem intentando interdictum possessorium retinendæ, ut ex suprâ dictis constat. 3. Accipi debet de rebus incorporalibus seu iuribus, si quis v. g. Capitulari electioni se ingerendo possessionem juris eligendi comparare velit, & monitus non desistat, per vim eijci potest, sed & vice versâ si in possessione eli-

gendi existens non admittatur, potest etiam vi adhibita se ingerere, ne possessionem amittat. Quæritur quid sit aliquid fieri in continenti.

Respondeo & Dico I: Si quis vim apertam, aut rapinam tibi inferat videnti, v. g. rem mobilem auferat, videlicet, equum; aut ædibus tuis te excludat; his casibus statim defendere te debes, illum persequendo, huic resistendo, ita ut una inter vos contentio seu pugna sit, cum primùm verò raptor aut predo veluti victoriam consecutus, pro hac vice tutus est à tua tentata persecutione aut resistentiâ, amisti possessionem etiam civilem, ut postea iudicio possessorio non retinendæ, sed unde vi aut bonorum raptorum agere debeas.

Dico II. Si quis clam ingressus sit, te absente ædes, aut alium fundum, postquam id cognoueris, requiritur ut non cesses aggredi media ad recuperandum extra vel intra iudicium necessaria; alioquin animum despondisse, & civilem quoque possessionem amisisse censeberis; sin autem statim, moraliter rem æstimando, consultes cum amicis, armis præpares, milites tibi conducas, vel advocatos aduocos, tamen si fortè unum mensem aut plus temporis iuxta negotij difficultatem in præparando insumas, retines possessionem civilem. *l. 1. §. Vim vi. ff. De vi. l. 1. C. Unde vi, & docet hic Innoc. n. 8. Panorm. n. 10. Videantur etiam, quæ dixi l. 3. tit. 3. p. 3. c. 3. num. 4.*

Nota III. Ad possessionem retinendam, defendendam, aut iniquum turbatorem repellendum, vim aliter inferre non licet, nisi cum moderamine inculpatae defensionis. *l. 1. C. Unde vi,* videlicet, ut tanta sit resistentia, quanta prudentis viri arbitrio, spectatis omnibus circumstantiis necessaria videtur ad defensionem possessionis aut juris, sin autem amplius quid attentatum fuerit, ad injuriam spectat, unde obligatio oritur satisfaciendi, & damna ita iniuste illata refarciendi. Videatur *Panormitanus hic n. 15.*

\* \* \*



## CAPITVLVM XIII.

## Literas.

## PARAPHRASIS.

Guilielma mulier coram Episcopo Bituricensi postulabat separationem matrimonij, eò quod viro suo in gradu quarto, cõsanguinitatis iuncta esset, sed vir petebat ante omnia sibi Guilielmam restitui, quæ propriâ temeritate recesserat. Ex parte mulieris replicatum fuit, restitutionem negandam esse, tum propter periculum incestûs, si viro cohabitaret, tum propter probationes impedimenti, quas in continenti afferre vellet, sed & notam mariti sævitiam esse, qui restitutam sibi cruciatibus & mortis timore cogeret, ut ab accusando matrimonio abstereret, nihilominus Maritus persistit, in petenda restitutione, & ne aliter videlicet ad petitorium procederetur, ad sedem Apostolicam appellauit. Respondit Innocentius III. Doctores in hoc articulo non conuenire, nam alij aiunt restitutionem coniugis prius faciendam, quàm de valore matrimonij cognoscatur, moti autoritate *Lucij III. c. In conquestione. h. t.* Alij autem negant faciendam restitutionem, propter responsum *Clement. III. in c. 1. De Ord. Cognit.* Alij denique distinguunt, si obijciatur gradus consanguinitatis diuinâ lege obstans matrimonio; ita ut Papa dispensare non possit, tum restitutionem coniugis negandam esse, sed concedendam, si gradus lege tantum Ecclesiasticâ diuinat matrimonium: Papa autem nihil penitus præiudicare volens opinionibus his, id tantum admonet *c. 1. De Ord. Cognit. & c. Ex Conquestione*; contraria nõ esse, quia in illo agebatur iudicio tantum petitorio, in altero autem possessorio recuperandæ; Ipsemet verò Pontifex respondet, si ex una parte petita sit restitutio coniugis propriâ autoritate recedentis, ex altera verò opponatur consanguinitas præsertim indispensabilis, & probationes afferantur in continenti pa-

rata, tum restitutionem Coniugis faciendam esse ad cohabitationem, & officia coniugalia, exacto prius iuramento, quòd restitutio malitiosè non petatur; at verò quoad torum seu debiti redditionem, differri debere restitutionem ob periculum incestûs, præsertim si fama impedimentum coadiuet: quòd si probationes statim afferri non possint, sed dilatio longior petatur, cum hoc casu præsumptio sit contra eam, quæ sine iudicio Ecclesiæ à viro recessit, ad plenam restitutionem compelli debere, etiam per excommunicationem, quam mulier si impedimenti conscia sit, humiliter sustinere cogitur, & debiti redditionem negare, donec cognito errore, à censura absoluat. quòd si autem viri sævitia obijciatur, videndum esse, num sufficiente cautione periculum amoueri queat, & tum eâ exactâ restitutionem fieri debere; sin verò trepidanti mulieri non possit sufficienter provideri, tum non tantum marito restitui non debere, sed etiam ab ipso amoueri.

## SUMMARIVM.

1. *Potest coniux allegando etiam propriam turpitudinem ad separationem matrimonij agere, si malâ fide hoc contraxit.*
2. *Coniux contra coniugem propriâ autoritate recedentem, & se separantem, potest agere ad restitutionem iudicio possessorio.*
3. *In peccati periculo probationes in continenti paratæ ad probandum proprietatis defectum admittuntur, antequam periculosa fiat talis restitutio.*
4. *Consentur autem probationes in continenti paratæ, si non longa petatur aut fiat dilatio, sed que sit pro qualitate cause breuis.*
5. *In dubio valoris matrimonij consummati, si statim expediri non possint probationes impedimenti dirimentis, compelli potest spoliatus ad reddendum debitum per censuram etiam Ecclesiasticam.*

**N**Ota I. Coniux conscius impedimenti dirimentis, potest agere ad separationem matrimonij, & quidem etiam allegando



do propriam turpitudinem, si malâ fide matrimonium contraxit, quia agitur de peccato vitando.

2 Nota II. Non tantum si coniux eiectus sit à coniuge, agere potest ad sui restitutionem possessorio iudicio, sed etiam si coniux à coniuge recessit, aut se separavit. Addit glossa hinc verb. *Diuertit. Panorm. num. 9.* Si maritus repulit à se uxorem, sed postea facti pœnitens, eandem revocat, ipsa autem redire non vult, ex eo tempore maritum spoliatum censei, ut agere ipse possit possessorio recuperandæ. Similiter si uxor propriâ temeritate recessit à marito, postea verò pœnitens facti redire vult, sed non recipitur, ex eo tempore ipsa ut spoliata agere potest, teste *gl. in c. Significavit. 1. verb. Materiam. de divorcio. Panorm. in c. Ex conquest. h. t. n. 1. argum. l. Clam. 5. §. ult. ff. De acquir. possess.* Ratio est, quia nulla temeritas aut culpa obest iuri matrimoniali per se loquendo, nisi adulterium, sicut Christus significavit *Math. 5. & 19.* & explicavi *lib. 5. tr. 10. p. 3. c. 7. n. 7. & 10.* Addit *Panorm. hinc. n. 29.* quod hoc casu Coniux, v.g. Mulier renitens etiam capi, & ad domum Mariti reduci possit.

3 Nota III. Agenti possessorio recuperandæ, non obstat exceptio defectus proprietatis, tamen si probationes offerantur in continenti paratæ, præterquam si vertatur periculum peccati, ut in casu proposito, quando dicitur matrimonium esse irritum, tunc probationes statim afferendæ recipiuntur, antequam fiat restitutio ad torum coniugalem.

4 Quæres quando censei debent probationes statim paratæ. Resp. Si non longa dilatio petatur, sed consideratâ qualitate causæ intra paucos dies probatio sufficiens promittatur. *Argum. l. Ratum. 13. ff. De solutionibus* ubi dicitur, quod quamprimum cum spatio quodam temporis accipiendum esse secundum viri prudentis intellectum; & docet *Panorm. hinc n. 6.*

5 Nota IV. Si dubium oriatur de valore consummati matrimonij, & probationes impedimenti dirimentis afferri statim non pos-

sint, Ecclesia per censuram compellit conjugem ad debitum reddendum, sed Coniux si sciat impedimentum dirimens, potius excommunicationem secundum forum externum humiliter sustinere debet, quam ut in copulam fornicariam consentiat.

## CAPITVLVM. XIV.

## Ex parte.

## PARAPHRASIS.

Martham adhuc impuberem Patruus suus Ciuis Senensis filio nondum septennium ætatis habenti desponsare voluit, eamque in domum eiusdem traduci curauit. Cum autem illa ad annos nubiles pervenisset, ratum habere noluit, quod à Patruo actum erat, petens ab Episcopo alteri nubendi licentiam, cum autem Episcopus partes citasset, ipsa Procuratorem misit, per quem petebat possessionem & alias res viro dotis nomine datas sibi restitui, sed pars aduersa restitutionem mulieris fieri sibi postulauit, asserens etiam, quod per procuratorem agere non posset, sed personaliter in iudicio stare deberet. Episcopus super hac causâ cõsuluit Innoc. III. qui respondit, nullum esse dubium quin mulier quamuis ætate minor, causam matrimonij per procuratorem agere possit, deinde partem alteram quæ mulieris restitutionem petit, super hoc audiendâ non esse, cum nullo juris aut possessionis commodo fuerit priuata, quâdoquidem per solam traductionem, quam nec antecesserunt, nec subsequuta sunt sponsalia, aut legitimus consensus, nullum inter eos obligationis vinculum contractum sit; quare mandat Papa, si ita se res habeat, ut causa, non obstantibus prædictis exceptionibus, appellatione remotâ definatur.

## SUMMARIUM.

1. Ad matrimonium & sponsalia contrahenda requiritur proprius & liber contrahentium consensus.

2. Nota



2. Non acquiritur liberi hominis possessio sine aliquo titulo.

3. Rerum sacrarum, publicarum, hominum &c. non tam est possessio cum commodis possessionis, quam mera detentio, si jus possidendi non subsit.

4. In causis spiritualibus minor natu, v. g. non tantum per se stare potest, si pubes sit, in iudicio, sed etiam per procuratorem.

NOTA I. Sponsalia & Matrimonia contrahi non possunt sine proprio eoque libero contrahentium consensu.

2. Nota II. Liberi hominis possessio acquiri non potest absque titulo, per quem jus in eum ac personalis obligatio acquiratur, ut videlicet fiat seruus, coniux, Religiosus. Ita tradit gl. hic verb. Commodo. & sumitur ex l. *Vniuersus*. 30. ff. de acquirend. poss. ubi dicitur, quod locum sacrum possidere non possumus, tamen eum ut priuatum teneamus, sicuti nec hominem liberum; & l. *Cum heredes*. 23. §. ult. ff. eod. si quis finxerit hominem liberum, eum non possidebit; consequenter non potest aliquis petere restitutionem hominis liberi, sed intentionem suam fundare debet in obligatione personali ex præcedente aliquo titulo, ut quia iusto bello captus est, à me emptus, matrimonij vinculo; aut Ordinis professione voluntariâ adstrictus.

3. Corollarium. Quod dici solet possessionem magis in facto consistere, quam in iure, iuxta l. 3. §. *Ex contrario*. ff. eod. & possessionis non multum interesse, iuste quis an iniuste possideat, id dictum ordinariè verum est, sed non in omnibus, quia in quibusdam rebus, videlicet publicis, sacris, hominibus, jura non tribuunt comoda possessionis, sed meram detentionem esse ceusent, si jus possidendi non subsit.

4. Nota III. Qui in iudicio per se stare potest, v. g. Minor natu, si pubes sit, in causis spiritualibus, is potest etiam procuratorem mittere, ut hic, & in c. *ult. de iudic. in 6.*

Quæres si agenti in iudicio petitorio in eadem causa proponatur possessorium recuperandæ, vtrum hæc actio dici debeat, an verò exceptio. Resp. Principaliter esse

actionem per quam petitur restitutio in possessionem, simul autem habere vim exceptionis dilatoriæ, cum differat seu suspendat petitorium. Ita sumitur ex h. c. & tradit *Panorm. n. 8.*

## CAPITVLVM XV.

## Cùm ad Sedem.

## PARAPHRASIS.

Controuersia erat inter Hospitalarios, & Episcopum Cumanensem super Ecclesia & hospitali, illam Innoc. III. commisit alicui Abbati, eâ forma, ut causam quoad petitorium & possessorium auditis omnibus, quæ pars vtraque proponeret, cognoscere & definire debeat. Coram hoc iudice procurator Hospitalariorum comparens petiit dictam Ecclesiam & hospitale vnâ cum possessionibus & pertinentiis suis ab Episcopo restitui hospitalariis, ad quos de iure spectaret, & quia ex antiquo in possessione fuerint. Ex aduerso Procurator Episcopi dixit se hæc nec scire nec credere, sed Episcopum ea, vtpote in sua diocesi posita, rationabiliter tenere. Cùm autem pars vtraque testes ad fundandam actionem suam produxisset, Abbas Episcopum condemnauit ad restitutionem. Postea autem hæc controuersia, viâ appellationis ad Papam delata est, coram quo testes ex parte hospitalariorum producti videbantur probasse, nuntium Episcopi Cruces illis abstulisse, inhabitentem eisdem, ne ad Ecclesiam & hospitale redirent, quamobrem tanquam spoliati restitutionem fieri postulabant, sed ex parte Episcopi responsu est, tamen ostensum esset, nuntium spoliasse hospitalarios, tamen non constare quod id egerit mandato Episcopi, aut quod postea ratum habuerit, sed hospitalariorum procurator replicauit, tamen mandatū probatum non sit, tamen iudicem facili animi sui motu informare potuisse de facta spoliatione, id eoque pro eius sententia tanquam iuste lata præsumendum esse.

His



His sibi propositis Innocentius III. iudicavit, Interdictum *Vnde vi* locum habere non potuisse, cum nec ex Episcopi confessione, neque ex evidentia facti, nec testium depositione, aliusve iudicii actis constet aut probari possit, quod Episcopus hospitalarios spoliavit, vel spoliari mandavit, aut spoliationem ratam habuerit, ideoque Abbatis sententiam cassavit.

## S V M M A R I V M.

1. *Super piis locis sua diœcesis Episcopus fundatam jurisdictionem habet.*
2. *Non tantum Ecclesia cum fundatur, sed etiam Xenodochio dos debetur.*
3. *Ad litis contestationem sufficit dicere Reum quod non sciat, vel quod non credat vera esse.*
4. *Deiectionem, nomine suo factam ratam habens, conveniri potest interdicto unde vi, etiam si rem non possideat.*

**N**ota I. Episcopus habet jure communi jurisdictionem fundatam super Xenodochiis & aliis locis piis in diœcesi sitis. habetur expressius in c. 3. iunct. gl. de Religios. domibus.

2 Nota II. Non tantum Ecclesie cum fundatur, sed etiam Xenodochio assignanda est dos, ita colligitur ex hoc c. verb. Possessionibus. & notat Innoc. & Panorm. hic. n. 1.

3 Nota III. Non requiritur ad litis contestationem, ut Reus neget vera esse, quæ in libello narrata sunt, sufficit si dicat se non scire, nec credere vera esse. quæ de re dixi in c. Vnie. De litis contestatione.

4 Nota IV. Interdicto *Vnde vi* conveniri non potest, nisi qui alterum possessione etiã corporali tantum deiecit, aut deijci mandavit, aut deiectionem suo nomine factam, ratam habuit; uti etiam habetur in l. 1. §. Deijcitur, & §. Deiecisse. ff. De vi, non tamen requiritur, ut qui deiecit, rem possideat, & si desit possidere, debet restituere, saltem æstimationem rei, & quantum interest, vim illatam non esse. cit. l. 1. §. Ex interdicto.

AS: (o): S

## CAPITVLVM XVI.

## Olim.

## PARAPHRASIS.

Ovetensis Episcopus cum à Rege Legionensi diœcesi suã spoliatus esset, partem aliquam diœcesis Episcopi Zamoriensis detinuit; quare Innocentius III. Ut eam restitueret, unã cum fructibus perceptis mandavit, sed Ovetensis excepit, se ob inopiam restituere non posse, nisi prius in Episcopatum suum restitueretur. Tum Innocentius rescripsit, quod vana sit actio, quam debitoris inopia excludit, ac proinde dictum Episcopum ad restitutionem perceptorum proventuum non esse cogendum, antequam ipse met restitutus sit.

## S V M M A R I V M.

1. *Inopia debitoris non suspendit quidem processum & sententiam: si habeat unde litigare possit, excusat tamen ab executione sententiæ latae.*
2. *Nisi agatur actio reali ad rem in sua specie extantem Domino reddendam quæ sine mora & sine periculo grauioris mali domino reddi possit.*
3. *Ad debita in Ecclesia utilitatem contracta dissoluenda obligatur ipsa Ecclesia, non autem ad ea dissoluenda, quæ Prælati Ecclesie in suum præcisè commodum, delinquendo, v. g. vel inutiliter expendendo contrahit.*

**N**ota I. Inopia debitoris excusat ab executione sententiæ latæ de solutione faciendâ. Ita Imola hic, in principio. Panorm. n. 6. Nota, quod dico, ab executione, si enim debitor conventus excipiat de inopia, non ideo processus & sententiâ suspenditur, dummodò tantum habeat æris, ut litigare possit. arg. c. 1. h. t. in 6. Sed solum executio differtur, ita ut cogendus non sit (etiam sine cessione bonorum, si Clericus sit) ad plus, quam commodè solvere queat, donec ad meliorem fortunam veniat. Limita cum Imola hic, nisi agatur actio reali, ad rem, quæ in spe-



specie extat, Domino reddendam, hæc enim sine morâ restitui debet, exceptâ necessitate seu periculo grauioris mali, quod restituendo incurreret debitor, v.g. si equo alio indigeat ad vitam saluandam, aut aliud graue damnum declinandum, ita ut Dominus rationabiliter contentus esse debeat, restitutionem saltem hoc tempore non fieri, quare nec in hoc capitulo Ovetensi Episcopo permittitur, ut partis diœcesis restitutionem differat, sed solum perceptorum fructuum.

3 Nota II. Si Prælatus debita contrahat, quæ in Ecclesiæ suæ utilitatem cesserunt, ipsa Ecclesia obligatur ad restitutionem. c. 1. *De solutionibus*. Et sumitur ex hoc Cap. Cùm enim Episcopus Ovetensis ex Episcopatus sui redditibus ali debuisset, idè si aliunde sustentationem accepit, videlicet ex redditibus Episcopi Zamoriensis, episcopatus eo nomine obligatus manet. Ceterùm si vel delinquendo vel inutiliter absumendo debita contrahat Prælatus, obligari non debet Prælatura, v.g. Episcopatus, ita ut successor solvere teneatur, quia delictum personæ non debet in damnum Ecclesiæ redundare. *Reg. 76. in 6.* nisi Capitulum seu conventus consensus dedisset, ut ibi limitat *Dynus n. 4.* Id verò consuetum est; si Prælatus aliisve beneficiarius talia Ecclesiæ aut beneficio non utilia debita contraxerit, & ex Patrimonialibus soluere non possit, ut fructus seu redditus Ecclesiastici ex mensa eius adimantur, & creditoribus addicantur, donec debita soluta sint, quæ de re *Panorm. in c. 2. n. 11. de fideiussoribus.*

## CAPITVLVM XVII.

## Olim.

## PARAPHRASIS.

Inter Episcopum Parisiensem & quendam Abbatem controversia erat super iurisdictione in parochiam, cuius possessione Episcopus dicebat se spoliatum ab Abbate, & cùm probare deberet, id solum allegauit & ostendit, quòd sententiam interdicti in eam Ecclesiam tulisset & po-

pulus acceptasset, sed Innocentius III. respondit, ex eo solum, quòd populus timore sententiæ à diuinis per dies aliquot abstinuit, Episcopum possessionem juris parochialis assecutum non esse, quare cùm non probauerit, quòd vel eo tempore, vel prius quàm sententia illa lata est, possessionem habuerit, non posse ei restitutionem adiudicari.

## SYMMARIVM.

1. Qui agit interdicto unde vi, aut interdicto retinendæ, debet possessionem probare, saltem præsumptiuè, & quidem interdicto retinendæ, antiquiorem.
2. Non sufficit ut de spolio agere volens siue interdicto de vi, siue interdicto retinendæ agat, probet titulum tantum, aut rei se dominum esse: quamuis in pari causa possessionis etiam bonum sit, titulum aut dominium probasse.
3. Latum à Prælato interdictum seruare ex metu, non est illius iurisdictioni se subijcere; neque Prælato tribuit possessionem iurisdictionis.

Nota I. Qui agit interdicto Unde vi, debet probare se possedisse, alioqui enim spoliari non potuisset, quia spoliatio supponit formam. c. 8. *Quod verò 32. q. 2.* Sufficit tamen si probet præsumptiuè, ostendendo se olim in possessione fuisse, tunc enim præsumitur eam continuasse, donec contrarium ostendatur, ut colligitur ex hoc cap. Et idem multo magis locum habet in possessorio retinendæ, videlicet si duo sibi possessionem vendicent, eius possessionem præferendam esse, quæ antiquior est. Vti docent DD. nominatim *Innoc. & Panorm. in c. Cùm ad sedem. n. 20. h. t.* Ratio est, quia alter, qui postea possessionem aggressus est, præsumitur clam & iniuste eam sibi usurpasse, nisi contrarium ostendatur, arg. c. *Licet. q. de Probat. & ex communi docet Mascardus. conclus. 1193.*

Nota II. Non sufficit si de spolio agere volens dicat & demonstret se Dominum rei esse, exinde enim non colligitur possessio,

z

cùm



cum fieri possit, ut qui jus in re habuerit, v. g. per confirmationem jus Prælatuæ, tamen nunquam possessionem eius nactus sit, consequenter spoliari non potuerit, ita sumitur ex hoc c. etsi enim Episcopus jure communi intentionem fundatam habeat super jurisdictione in omnes parochias diocesis. c. *Cum Venerabilis. 27. de religiof. Domibus*, tamen si agatur interdicto *unde vi*, idè obque fateatur, se jam non possidere, tum præsumptio non est pro ipso, quod ante possederit, sed probare id debet, quia est mutatio facti, quæ non præsumitur. Quin & interdicto retinendæ non sufficit titulum probare, sed necesse est, ut actor probet, se litis contestatæ tempore possedisse, hoc enim in casu præsumitur possessionem continuasse. Nihilominus si Dominus vel actor titulum, seu jus in re ostendere possit, valde ipsi proderit in hac actione, quandoquidem si par causa possessionis esse videatur, ad judicabitur ei, qui potiori jure seu titulo niti videtur, ut docent Doctores in c. *Licet. 9. De probationibus. Bart. l. Si duo. n. 4. ff. de acquir. possess.*

3 Nota III. Tametsi parochiani ob meritum seruent sententiam interdicti lati à Prælato, non propterea is acquirit possessionem jurisdictionis in parochiam. Sed quænam ratio assignari debet? varias dant DD, ut gl. hinc verbo *Timore. Panorm. n. 7.* Dux sunt probabiliores. Prima, ut dicat satis non esse ad acquirendam possessionem jurisdictionis, quod populus ex præcepto aut sententia alicuius Prælati abstinere ab aliquo actu, v. g. auditione divinorum, cum possit id agere non animo se subiiciendi, sed ob aliam causam, v. g. ut deliberet quid agere debeat, & interim Domino cuius jurisdictionem agnoscit, significet. Altera, tametsi populus animo subiiciendi se, abstinuisset à Divinis, tamen abbas possessionem jurisdictionis non amisisset, si postquam rem intellexit, subditis obedientiam interdixisset, eosque puniuisset, se cus autem, si acquivisset ac passus fuisset, arg. l. *Licet. & l. ult. C. de acquir. possess.* aut si subditi eum spernerent; seu eius mandata reiicerent, volentes manere sub jurisdictione alterius, tum

abbas perderet possessionem. Videatur *Panorm. hic. n. 13. & 17.* Porro si quis v. g. castrum, cui jurisdictio annexa est, per alium possideat, isque inde pellatur, & ingrediens castrum subditos sibi obedientiam jurare faciat, tum Dominus abiens, seu is cuius nomine famulus possidebat, amittere censetur possessionem etiam jurisdictionis.

## CAPITVLVM XVIII.

## Sæpe.

## PARAPHRASIS.

Ciuili jure statutum est. l. *Cum à te. 7. ff. de vi.* ut spoliatus contra spoliatorem tantum, aut mandantem, non contra alium possessorem, possessorem recuperandæ agere possit. Et ita sæpe contingit, ut commodo possessionis amisso, propter difficultatem probationum in petitorio obtinere nequeat. Quare ad rigorem hunc ciuiliis juris temperandum, statuit Innocentius III. in Concilio Generali, ut spoliato contra illum quoque, qui rem à spoliatore scienter receperit, per restitutionis beneficium succuratur, eo quod spoliatori succedat in vitium, siquidè inter hæc duo iniuste detinere, & inuadere re alienam parū inter est, quoad peccatum. Tractanda hinc est quæstio, si quis iniuste exciderit possessione rei suæ, eaq; ad alterius manus seu potestatem deuenierit, utrum contra illum tertium remediū possessorem competat, si enim non competat, tum agi debet iudicio petitorio, seu rei vindicatione, in qua actione probari debet dominium, cuius tamen probatio sæpe difficilis est.

## SUMMARIUM.

1. Contra heredem & quemuis successorem vniuersalem competit spoliato interdictum possessorium, sicuti contra spoliantem.
2. Non competit tamen contra singularem successorem, spectato juris Ciuiliis rigore.
3. Ex jure tamen SS. Canonum remedium etiam possessorium spoliato conuenit, contra quemcunque, qui spoliū scienter accepit.

4. Qua



4. *Qua canonica constitutio etiam in foro civili ad vitandum peccatum, obseruari debet.*
5. *Non competit tamen spoliato interdictum unde vi contra hunc tertium, sed conditio.*
6. *Qua actio spoliato etiam competit contra eum, qui bonâ quidem fide rem accepit, hîc & nunc tamen sciens spoliū iniuste retinet.*
7. *Probabile quidem est, quod hoc ipsum conditionis remedium contra eum etiam spoliato competat, qui bonâ fide spoliū accepit & possidet, probabiliter tamen est contrariū.*
8. *In fauorem tamen Ecclesiarum, minorum, aut aliarum personarum fauorabilium, iudex ex officio ad restitutionem procedere potest, si antiquiorem probent possessionē, & praesumptionē male fidei in possessore recentiore.*

**I** Dico itaq; 1. Contra hæredē, & quemuis successorem vniuersalē, spoliato competit interdictum possessorium, sicuti contra spoliantem. *arg. l. Cum heres. 11. ff. De diuers. & temporal. prescript. Et l. Vitia. 11. C. de acquir. possess.* Ubi dicitur quod vitium antecessoris transeat ad successorem vniuersalem, cum eadem persona censeatur, vt ex communi docet Archidiaconus in *c. Redintegranda. tr. 2. Causa. 3. q. 4.*

2 Dico II. Contra singularem successorem spoliatoris v. g. emptorem aut Monetarium spe statō iuris ciuili rigore, nō competit interdictum possessorium, vt hîc habetur, & *l. An vitium. ff. de diuers. prescript. & tradit. Archidiacon. loco cit.*

3 Dico III. Si rem iniustam per vim tibi ereptam alius quispiam scienter acceperit, competit tibi aduersus eum remedium possessorium ex hoc Canone, vt tibi restitutionem facere compellatur, tametsi res per plures manus ad possessorem hunc peruenerit. Ita habetur in hoc *c. & tradit. Innoc. n. 2.* Ratio est, quia id æquitas postulat ad tollendum peccatum iniustitiæ, cum enim possessor iniuste detineat, sciens esse alienam, continuo peccat nisi restituat, perinde ferme ac si ipsemet rapuisset, cum alienum auferre, & scienter retinere, paris iniustitiæ sit, quam obrem huius capituli constitutio, etiã in civili foro obseruanda est, quia cum aliquid decernitur ratione peccati seu periculi animarum etiam in civili foro obseruari debet

inter laicos, vt hîc monet *Panorm. n. 5. & docent DD. in reg. 2.*

Dubitatur 1. quænam actio competat contra tertium hunc possessorem iniustum. *sz.* Non competere interdictum unde vi, aut horum bonorum, cum ex hoc interdicto tantum agi possit aduersus spoliatorem aut qui spoliari mandauit. Sed competit conditio ex hoc Canone, quæ est personalis actio, sed in rem scripta, quia contra quemcunque possessorem iniustum rei violenter ereptæ institui potest; *arg. l. Metum. 9. §. vlt. ff. Quod metus causa.*

Dubitatur 2. si quis bonâ fide rem violenter alteri ereptam ignorans acceperit, & postea superueniat scientia rei alienæ, ad eoque mala fides, vtrum conditioni ex hoc canone locus sit? Videtur affirmandum, cum *Jo. Andr. hîc, & Panor. n. 13.* propter rationē textus, quia parum interest ad peccatum, rem alienam inuadere & iniuste detinere; & cum hæc constitutio pænalis non sit, sed tum per se ipsam valde æqua, tum verò in fauorem oppressorum lata, ampliari potius debet, quam restringi.

Dubitatur 3. Cum remedium huius canonis requirat malam fidē possessoris, quæ interdum difficile ostenditur, an nō aliud suppetat remediū spoliato, quod contra quẽvis etiam bonæ fidei possessore intentari queat. *gl. hîc. verb. Non subuenitur. Innoc. n. 2. & alij plerique, quos citat & sequitur Menoch. de recuperand. possess. remedio. 15. n. 383. Wesenbec. de act. & interdict. c. 13. n. 33.* aiunt contra quemlibet possessorem etiam bonæ fidei, ei qui per metum, dolum, captiuitatem, aut quamcunque violentiam possessionem rei amisit, competere conditionem, ex *c. Redintegranda. causa 3. q. 1.* Quamuis alij qui limitent, quod tantum personis Ecclesiasticis competat hoc remediū ad recuperandas res Ecclesiæ vel proprias; alij verò etiã laicis dictū remediū tribuunt, vt *Wesenbecius n. 34.* Et hæc probabiliter dicuntur tum propter autoritatē Doctorum, tum quia simile quiddam prætoria æquitate decretum est de iis rebus, quæ iniusto metu extortæ sunt, vt à quolibet possessore repeti possint. *l. Si enim. 14. §. Aliquando. ff. de eo quod metus causa.*



causâ. Verumtamen, ex Canone *Redintegranda*, tale juris Canonici remedium colligi non potest, cum nihil aliud dicatur, nisi quod omni jure notum est, videlicet Episcopos iniuste spoliatos, ante omnia integrè restituendos esse; & quod spoliatis adeo generale remedium adversus quoslibet possessores non competat, aperte colligitur ex *hoc c.* & *c. Cum ad sedem. cit.* Cur enim Concilium sub Innocentio ita laborasset, ut novâ constitutione subveniretur spoliatis, contra malæ fidei possessores, qui à spoliatoribus res scienter acceperunt, si in antiquiore jure, *c. Redintegranda*, uberius & generalius remedium adversus quoslibet possessores haberetur. Id tamen probabilissimè dicitur, si Ecclesia, Minor, aut similis persona favorabilis possessionem antiquiorem ostendat, v. g. Juris pascendi, inventandi &c. quod per simplicitatem Juris Canonici, judicis officio restituatur, iuxta ea, quæ dixi in *c. 2. Ut lite non contestata*. Nam ostensâ possessione antiquiore, recentior possessio præsumitur clandestina seu vitiosa; tamen si vitium v. g. metus, vis, dolus, & uno verbo mala fides possessionis aliter ostensa non sit, ad quâ præsumptionem, si per contrarias coniecturas non superetur, multum facit favor Ecclesiæ, & obtinere hoc debet in Ecclesia & Minore, tamen si per culpam seu negligentiam suam amiserint possessionem, uti etiam dixi in *cit. c. Cum ad sedem*, & notat hic *Imolan. 3.*

## CAPITVLVM XIX.

## Pisanis.

## PARAPHRASIS.

Pisani eripuerant Lucanis quædam Castra, ex quibus Episcopus Lucanus census annuos percipiebat. Super hac causa Gregorius IX. mandavit Subdiacono suo, ut possessionem quam in Castris ad Lucanam Ecclesiam spectare constaret, plenè ac liberè restitui eidem faceret, sicuti habuerat tempore ortæ discordiæ inter Pisanos & Lucanos; super ea verò possessione, de qua dubium esset, num ad Ec-

clesiam Lucanam spectet, sufficientem cautionem à Pisanis reciperet, de parendo juri, coram Papa; & post hæc sententiam censuræ, quæ eisdem ob erepta castra inflicta erat, relaxaret. Cum itaque Pisani Subdiacono proponerent per Episcopum Lucanum stare, quo minùs ipsi restitutio fiat, instanter petentes censuram relaxari, Subdiaconus receptâ cautione de parendo justitiæ, eos absolvit, sed Episcopus hac re gravatum se sentiens, ad Papam appellavit; Is respondit, se duo mandasse Subdiacono, & ut possessio, quam constaret Lucanam Ecclesiam tempore ortæ discordiæ habuisse, eidem restitueretur, & ut plenè ac integrè restitutio fieret, quorum illud ad factum pertinet, hoc ad modum; quare licet Subdiaconus mandatum Papæ implere nequiverit in facto (quia non constabat possessiones Castrorum ereptas esse Episcopo: & pensionibus ac censibus annuis ipsemet fatebatur Episcopus se spoliatum non fuisse à Pisanis) nihilominus tamen fuit peccatum in modum mandati, quia Papa jussit, ut possessio censuum restitueretur, plenè & integrè, id autem fieri non potest, nisi Pisani dimittant castra, quæ Lucanis eripuerunt, eò quod si penes ipsos possessiones castrorum maneat, non possit Episcopus ita liberè ac securè census suos recipere, quam si Lucanis restituantur, erit enim in potestate Pisanorum, ad census recipiendos, Episcopum Lucanum admittere vel repellere, quamobrem Pontifex processum Subdiaconi irritum esse pronuntiavit.

## SUMMARIVM.

1. *Censuratus ante absolutionem realiter satisfacere debet pro offensione notoria; pro dubia debet prestare cautionem, de parendo justitiæ.*
2. *Si forma mandati non seruetur, processus & sententia judicis delegati nulla est.*
3. *Ecclesia petere potest iudicio possessorio, ut tertius spoliatus restituatur, aut ut alienatio liberè etiam à tertio facta rescindatur.*



tur, si ex tali spoliatione vel alienatione durior illius conditio est reddita, vel adempta possidendi libertas.

4. Ex eo, quod invalida sit sententia, non fiunt etiam invalida alia judicialia acta, si legitime ea facta sunt.

1 Nota I. Excommunicatus vel interdictus ante absolutionem realiter satisfacere debet, si offensio notoria sit; sin autem dubia, tum sufficit præstare idoneam cautionem de parendo justitiæ. Ita hic & expressius in c. Ex parte 23. de verborum significatione.

2 Nota II. Processus aut sententia Judicis delegati irrita est, si forma mandati non observetur, l. Diligenter 5. ff. Mandati. & constat ex hoc cap. Nam Gregorius IX. mandauerat Subdiacono, ut censuram relaxaret, si possessio quam constaret ad Ecclesiam Lucanam pertinere, eidem plenè restituta esset, tamen si verò hæc conditio satis impleta cenferi posset quoad substantiam facti, cum enim non constaret possessionem aliquam, seu fundum Ecclesiæ ereptum esse, non debebat ipsi restitutio fundi alicuius fieri, tamen altera pars mandati circa modum impleta non fuit, volebat enim Papa Lucanam Ecclesiam in plenam & liberam juris sui possessionem restitui, sicut erat tempore motæ discordiæ, id verò factum non fuit, quia antea Episcopus à Lucanis suis subditis in spiritualibus, facile & securè pensiones ex possessionibus castrorum recipiebat, at verò postquam eæ devenerunt in manus Pisanorum potentium & ab Episcopo alienorum, difficilis foret consecutio pensionum, igitur apparet, quòd Subdiaconus non debuisset absolvere Pisanos, donec castra restituisent Lucanis, ita ut Episcopus possessionem juris pensionum plenè ac liberè obtinisset, sicut prius. Ita Joani Andr. & Imola, uterque n. 6.

3 Nota III. Si Titius homo potens & crudelis invadat possessionem Caij, ex qua Ecclesia census percipit, potest & ipsa agere interdicto possessorio, quia licet possessione juris pensionum absolutè spoliata non sit, est

tamen ipsi adempta libertas possidendi, ita ut periculum sit, brevi ipsam possessionem secundum se amittendi, igitur partim Ecclesiæ adimitur, partim turbatur possessio, consequenter coram iudice Ecclesiastico petere potest, ut Titius per censuras compellatur ad ereptam possessionem restituendam Caio, cum eiusdem Ecclesiæ intersit. Quin imò plus dicit Panormitanus hic. n. 13. & 14. Tamen si Lucani possessiones ex quibus Ecclesia pensiones recipiebat, iusto titulo transulissent in Pisanos, à quibus ut durioribus aut inimicis Ecclesia difficilè jus suum consequi possit, quòd implorato iudicis officio petere queat, ut rescindatur alienatio, quippe ex qua conditio Ecclesiæ durior reddatur, argum. c. In aliquibus 32. de decimis. Simile quiddam est, quod volens absque Principis consensu munitiones & castella ædificare, etiam in solo proprio v.g. prope fluminis ripam, vel in confiniis Provinciarum, si videatur id facere animo nocendi, aut transitum impediendi, prohiberi queat. arg. l. 3. junct. gl. ff. de Operibus publ. l. 1. §. ijdem. ff. De aqua pluvial. junct. gl. verb. Habere. quòd non liceat tibi aliquid facere eâ magis intentione, ut alteri obsis, quàm ut tibi prosis; verumtamen ut vetera castella restaurètur, & in pristinum quem habebant olim statum reducantur, facilius conceditur. Arg. c. Confutit. 7. de Judæis, quia aliud est servare quod factum est, aliud de nouo facere. secundum gl. ibid. verb. Exaltent.

4 Nota IV. Invaliditas sententiæ non reddit confessionem, & alia judicialia acta irrita, si legitime facta sunt, quod enim ab initio legitime subsistit, per extrinsecum alterius rei defectum corrumpere non debet. Ita Panorm. hic n. 9. & sumitur ex hoc c. Tamen si enim Pontifex sententiam Subdiaconi irritam esse decreuerit, tamen confessionem Episcopi Lucani antea factam coram Subdiacono juridicam allegavit.

✠

z 3

IDEM



## IDEM TITVLVS IN VI.

## CAPITVLVM I.

## Frequens.

## PARAPHRASIS.

Frequenter contigit, ut Reus conventus actionem declinaret per exceptionem spoliatoris, & ita causæ ac iudicia Ecclesiastica impedirentur, quia dum exceptioni insistitur, & quandoque appellatio interponitur, causæ principalis cognitio suspenditur, & interdum eius prosecutio omnino intermittitur & ita (licet non de jure, tamen de facto) perimitur. Quare Innocentius IV. publico bono succurrere, & litibus finem imponere atque calumniandi occasiones amputare volens, decernit; si in causa civili Reus spoliationem obiiciat, non ab Actore, sed ab alio factâ, ut eâ nihil obstante, in principali iudex procedat. Sin autem Reus in civili iudicio ab actore, vel in criminali à quacunque persona se spoliatum asserat; quindecim dierum dilatio concedatur ad probandam spoliationem, si nō probârit, actori in expensas à iudice taxandas cōdemnetur, etiâ aliter, si iudici videbitur, puniendus. Porrò in causa criminali in ordine ad exceptionem illam proponendam, spoliatus is censeretur, qui totâ substantiâ vel maiori eius parte exutus est, neque convenit ut nudi atque inermes inimicis suis respondere cogantur, habet itaque hoc casu spoliatus istud priuilegiū; quòd jam nudatus exui non debeat.

## SUMMARIVM.

1. Exceptio spoliationis prius discuti debet, quam de causa principali procedatur.
2. Agenti civiliter non potest obiici per modum exceptionis spoliatio ab alio facta, potest tamen hæc obiici contra agentem criminaliter, si fuerit omnium bonorum, vel maioris partis spoliatio.
3. Hæc tamen exceptio ultra casum expressum accusationis extendi non debet ad alios qui non sunt accusatores.
4. Debet tamen accusato hæc spoliationis ex-

ceptionem opponenti, certum tempus presigi à iudice ad res suas in iudicio repetendas, quo non obseruato, responderi cogetur accusatori.

5. Inter causam de qua conuenitur alter, & inter exceptionem spoliationis qua opponitur, debet esse aliqua paritas, ita ut exceptio spoliationis rei Ecclesiastica non possit opponi agenti in causa priuata rei, nec vicissim.
6. Nisi etiam inter hæc esset legitima proportio.
7. Priuilegia qua bonis Ecclesiasticis principaliter ob fauorem Ecclesiarum concessa sunt, extendi non debent ad bona propria Clericorum.

**N**ota I. Exceptio spoliationis cum sit dilatoria prius discuti debet, quam super causâ principali procedatur. *c. Exhibita. 19. de iudiciis.* Idemq; dicendū, si exceptio peremptoria sit litis finitæ, idemq; & ipsa obiiciatur ad impediendum processum iuxta ea, quæ dicta sunt in *c. 1. De litis contest. in 6. Et in c. 1. De Ordine Cognitionis.* Quare si iudex postquam de tali emergente exceptione cognouit, ad ulteriora procedat, tacite censetur pronuntiare super exceptione non admittenda. *vti Francus hæc notat. n. 2.*

**N**ota II. Agenti civiliter, per modum exceptionis obiici non potest spoliatio facta ab alia persona, idque verum est tamen si scienter & malâ fide rem aliquis possideat, quia exceptio illa non competit nisi ei, qui potest agere interdicto *Vnde vi*, atqui contra iniustum possessorem, qui nō spoliavit, nec spoliationem mandauit, agi non potest interdicto *unde vi*, sed ex Canone, *sape. de Restitutione spol.* & ita docet hic *Io. Andr. col. 2. Petrus Anchar. not. 2.* Agenti verò criminaliter obiici potest exceptio spoliationis factæ ab alio, dummodò sit omnium bonorū aut maioris partis, & ita explicantur Canones, *causa 3. q. 2.* Ratio cur dilatoria talis exceptio admittatur, est, quia homo ita suis bonis exutus, & plerumq; animo perturbatus aduersariis suis obiici non debet, donec restitutus sit, *c. Oportet. cit. q. 2. ibi.* Nec inermes inimicis nos debemus opponere. Videatur *Monachus. hic n. 3.* Verum



3 Verum hæc exceptio spoliationis, cum sit exorbitans à jure communi & ordinario, extendi non debet ultra casum expressum accusationis, ut proinde si agatur de crimine civiliter aut per modum denuntiationis evangelicæ, vel per modum inquisitionis ex mero officio judicis, huic exceptioni locus non sit, quia Canones beneficium exceptionis contra accusatores tantum tribuunt, & ita ex communi docet *Ioan. Andr. hic n. 6. Franc. §. illum. n. 2. contra Dominicum. ibid. col. 2.*

### §. Solet.

4 Si accusatus obijciat spoliationem à tercia persona factam, judex temporis terminum præfigat, intra quem res suas in judicio repetat, quod si intra hoc tempus litem adversario non mouerit, aut causam ad finem non perduxerit, dummodo per ipsam steterit, quo minus restitueretur, non obstante spoliatione, accusatori suo respondere cogitur.

### §. Ad hoc.

5 Agenti in causa Ecclesiastica, non obstat exceptio spoliationis rei priuatæ, sed nec vice versa, in causa rei priuatæ obstat exceptio spoliationis rei Ecclesiasticæ. Difficultas in eo consistit, quid nomine causæ Ecclesiasticæ intelligatur, variæ sunt responsiones apud *gl. hic. verb. Opponatur.* Mihi placet responsio Dominici, Colum. ult. Nominem causæ Ecclesiasticæ intelligendam esse, quæ vel propriè spiritualis est, ut causa matrimonij, administrationis Sacramentorum; vel temporalis quidem sed ad Ecclesiam, aut alium locum pium spectans; quæ autem causa & in se temporalis est, & ad Ecclesiam seu pium locum non spectans, sed ad laicos, aut ad Clericos, ut priuatæ personæ sunt, talis priuata dicitur. Juxta priorem causæ Ecclesiasticæ intellectum, si mulier petat sibi maritum dari aut reddi ex causa matrimonij contracti; non potest maritus eam repellere per exceptionem spoliationis rei temporalis, quod v.g. Mulier eum spoliarit, pecuniis aut prædio suo. Item si Parochus à parœciano repetat pecuniam mutuo datam, non potest repelli per exceptionem quod debita ipsi sa-

cramenta negarit, ideòq; jure suo spirituali spoliarit, sed nec vice versa, si parœcianus queratur de Sacramentis sibi à parochio denegatis, parochus eum repellere potest opponendo, quod fundo suo aut aliâ re ab eodem parœciano spoliatus sit. Ratio est, quia exceptio ista spoliationis, per quam dicitur, nolo tibi reddere jus tuum, nisi reddas mihi meum, quod prius abstulisti; aliquo modo inter similia esse debet, qualia non sunt ea quæ omnino diversi generis sunt. *arg. l. 1. & 3. C. De Compensationibus.*

6 Excipe si temporale cum spirituali proportionem habeat, quia datur pro spirituali, tunc exceptioni locus erit. Exemplum: Parochus petit decimas à Parochianis, sed is excipit Sacramenta sibi iniuste denegata esse, audiendus esse videtur, cum enim decimæ dentur parochio propter administrationem Sacramentorum, idem negari ei possunt, si non præstet id, cuius gratia dantur, quæ est sententia Lapi, Alleg. 67. quem hic citat & sequitur *Dominicus. colum. 2. Franc. n. 2.* Juxta posteriorem causæ Ecclesiasticæ intellectum, si Episcopus vel parochus suo, non Ecclesiæ nomine spoliavit laicum fundo suo, & postea idem Episcopus vel Parochus nomine Ecclesiæ suæ agit pro juribus eius à laico recuperandis, non potest is obijcere spoliationem factam ab Episcopo aut Parochio, tanquam persona priuata, sed & vice versa, si laicus Ecclesiam spoliarit jure suo, & postea agat contra Parochum vel Episcopum, ad recuperandum, quod ipsi debet nomine proprio, non potest repelli laicus ille per exceptionem. Ita *Io. Monachus. n. 9. Io. Andr. n. 6. Dominic. & Franc. loc. cit.* Neque obstat his *c. 2. De ord. cognit.* Quia in casu illo utrinque agebatur, de rebus Monasterij, ideò exceptioni spoliationis locus erat.

7 Nota. Res propriæ personarum Ecclesiasticarum videlicet Episcopi, Parochi, non censentur Ecclesiasticæ, sed potius priuatæ, quare privilegia quæ bonis Ecclesiasticis data sunt ob Ecclesiarum fauorem, & non principaliter ob fauorem personarum particularium, ea extendi non debent ad bona propria Clericorum.

CAPIT.



## Ad Decimas.

## PARAPHRASIS.

Canonici S. Nicolai aliquamdiu possidebant decimas sitas intra parochiam, eos postea parochus spoliat, seu possessionem decimarum illis aufert. Queritur utrum Canonici restitui debeant; Negat Bonifacius VIII. nisi evidenter docuerint se possessionem juris decimarum legitime assécutos esse, quia decimas occupasse verisimiliter præsumuntur, quæ in aliena parochia proveniunt & juris communis præsumptio adest pro parocho, donec contrarium ostendatur.

## SUMMARIUM.

1. Parochus contra quemcunque possessorem decimarum intentionem fundatam habet, si constet quòd decime in ipsius parochia sitæ sint, & alter titulum vel immemoriam possessionem, si huius capax sit, ostendere non possit.
2. Non restituitur spoliatus, nisi titulum, vel tituli præsumptionem exhibuerit, si illi jus commune resistat, assistat verò spoliati.

**N**ota I. Si constet vel ex confessione adversarij, vel aliunde, quòd decimæ sint intra fines parochiæ, præsumptio juris est, quòd ad Ecclesiam parochiale spectent, quam ob rem parochus ex hoc ipso intentionem fundatam habet contra quemlibet possessorem talium decimarum, nisi is titulum ostenderit, vel possessionem temporis immemorialis, quæ instar tituli est, si capacitas sit in possidente, eademque ratione Episcopus fundatam habet intentionem jurisdictionis contra parochiam aliàsque Ecclesias earumque personas intra dioccesin existentes, donec exemptio ostendatur, uti constat ex c. *Cum Venerabilis. 6. De Exception. & docet Franc. hic n. 4.*

**2** Nota II. Si jus commune resistat Actori spoliato, assistat verò Reo spoliati, non

restituitur spoliatus nisi titulum, vel tituli præsumptionem exhibuerit. Ita gl. hic verb. *Eundem. Dominicus. Col. 1. & penult. Franc. n. 6.* Nota autem, quòd dixi, sufficere, si spoliatus, juris præsumptionem pro se alleget, ut quia longo tempore in pacifica possessione decimarum fuerit, uti notavit *Panorm. in c. 3. n. 52. de Causa Possessionis. Franc. hic. Limitatione 4.* Ratio est, quia ideò spoliatus ad decimas parochiales iuxta hoc. c. restitui non debet, quia præsumptio juris est contra ipsum & pro spoliante, hæc autem præsumptio contrariâ præsumptione tolli vel saltem infirmari potest, ut tali casu rationabile dubium sit, ad quem de jure decimæ spectent, in dubio autem favorabilior esse debet conditio spoliati in ordine ad possessionem recuperandam. Contra decisionem huius c. Obiicitur *c. 3. de causa Possessionis*, ubi Clerici Ecclesiæ Collegiatæ à Canonice cathedralibus spoliati jure eligendi Episcopum, restituntur in possessionem, & tamen jus commune resistebat Clericis, assistebat verò Canonicis, quippe ad quos solos de jure electio spectabat. Resp. Cum *Joan. Andr. hic prope finem, Dominico Colum. penult. Franco n. 8.* duplicem causam discriminis inter utrumque casum afferri posse, quia pro Clericis extraneis præsumptio aderat possessionis bonæ fidei, quando scientibus ac patientibus Canonicis qui hanc eligendi facultatem concedere poterant ad tres antecedentes Episcoporum electiones admissi fuerunt, at verò contra Canonicos S. Nicolai non erat præsumptio possessionis bonæ fidei, sed potius quòd iniuste decimas occuparint, tamen si eas aliquamdiu perceperint, parochus sciente ac patiente; cum enim parochus jus decimarum alteri concedere non possit, ideò non adiuvat eius scientia & patientia ad commoda possessionis illi acquirenda. Altera est, quia licet jus Canonicum resistat, si extranei exclusis Canonicis electionem Prælati faciant, non tamen resistit, quo minus extranei per patientiam & concessionem capitularium simul cum

Corollarium. Si Clerici conventuales semel



semel aut iterum Episcopum sine Canonici elegissent, ac postea iterum vacante Sede Canonici cathedrales Clericos repellerent ab electione, aut ipsi Canonici prævenientes, Episcopum eligerent & confirmari peterent, hoc casu Clerici repel-

lerentur à possessorio recuperandâ, nisi titulum seu concessionem legitimam vel tempus immemorabile aliâve præsumptionem seu colorem possessionis suæ cum bonâ fide exhiberent, idque ex decisione hujus Capituli.

## TITVLVS XIV. DE DOLO ET CONTVMACIA.

**I**nterdum aliquis per vim injustam deijcitur possessione suâ, ideoque à judice restituendus est, vt *præced. tit. vidimus*. Interdum verò accidit, vt aliquis seu iudicio possessorio seu petitorio missus in possessionem iudicis decreto, eam consequi non possit, ob dolum vel contumaciam adversarij, quamobrem titulus iste præcedenti annectitur. Dicta autem est Contumacia, à contemnendo, quia contemptus Iudicis censetur, si eius legitimo iussui pars litigans non obtemperet, quod variis modis accidere potest. Numerati sunt in *gl. c. 2. h. t. verb. Contumaciter*, videlicet, si peremptoriè citatus non veniat, aut malitosè se absentet, aut veniens, respondere aut jurare iussus recuset, aut si exhibere aliquid vel restituere iussus non obtemperet, aut denique negotio infecto discedat, nec revertatur.

### CAPITVLVM I.

Ad hæc.

#### PARAPHRASIS.

Reus in iudicium vocatus, contumaciter se absentat, & ob id Iudex actorem mittit in possessionem rei petita, Custodiæ causâ; sed ob dolum vel potentiam adversarij, possessionem seu potiùs custodiam rei consequi non potest. Verùm ante finem anni Reus ne veram quoque possessionem amittat, idoneam cautionem affert, quòd iudicio stare velit.

Quæritur an & quâ panâ mulctandus sit ob contumaciam, seu quòd iudicis citationi ac iussioni primitus non paruerit? Respondet Alexander III. In Ecclesiasticis personis & causis juris rigorem observandum non esse, ideoque iudicem contentum esse debere, quando Reus sufficiente cautione se adstringit standi iudicio, eo quòd hoc casu iustitia non periclitetur, quia jus actoris illæsum manet.

#### S V M M A R I V M.

1. De rigore juris civilis puniri potest, qui in jus vocatus non venit: si tamen post decretum primæ missionis cautionem offerat de parendo juri, ex juris canonici benignitate non punitur: ad interesse tamen ex naturâ rei tenetur Actori contumax, si ob contumaciam damnum passus est.

**N**OTA. Contumax in foro Canonico puniendus non est, si post decretum primæ missionis comparens cautionem offerat de parendo juri, ita ut jus adversarij integrum permaneat, & hoc propter æquitatem & benignitatem Canonicam; at verò secundum Iuris Civilis rigorem, puniri potest, quicumque in jus vocatur, & non venerit. *l. vn. ff. Siquis jus dicenti non obtemperaverit, juncto Bartolo in Explic. 7. & l. 2. de in jus vocando*. Sed quâ ratione manet integrum jus Actoris, si prohibitus fuit possessionem rei ingredi custodiæ causa. R. quoad juris effectus, ut perinde sit, secundum

a a

dum